

PALAESTRA

LATINA



ANN. XXX (Fasc. III) — N 171
M. A. SEPTEMBRI MCMLX

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Constat in Hispania et America Hispanica: 60 pesets; in Gallia: 8 francis; in Italia: 1.000 libellis; in Germania: 6'5 marcis; in Anglia: 12'5 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAESTRA ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesets; in Gallia: 2'5 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania: 2 marcis; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

Pretium mittatur oportet ad **ADMINISTRATOREM**: Lauria, 5, Apartado 1042 - **BARCELONA** (10)
vel ad **PROCURATORES** singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - **BARBASTRO** (Huesca)

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXX (Fasc. III) N. 171

M. SEPTEMBRI A. MCMLX

AE. ORTH, <i>De Ciceronis logica</i>	129
N. MANGEOT, <i>De Nymphis et Musis</i>	139
J. IJSEWIJN - JACOBS, <i>Carmina latina ex Unione Sovietica</i>	143
J. IJSEWIJN, <i>Hippolytus Galante - De vita Sua I</i>	147
R. SARMIENTO, <i>Ad amicum</i>	149
J. MATTEOCCI, <i>Via Crucis</i>	151
R. AVALLONE, <i>Orat puella</i>	153
J. M. ^o MIR - J. HOLZER, <i>Iterum de «Tabaco»</i>	154
J. ARAMENDIA, <i>Nuntia varia percipite</i>	169
M. M., <i>Per Orbem</i>	171
BIBLIOGRAPHIA, Marqués, Sidera, Rodríguez, Mir, Tejerina, González, Philoponus, Aramendía, Brasero	172
PALAESTRA ADULESCENTIUM	
De capillorum cura mulierum romanarum	185
A. MIGUEL, <i>Agaso meditabundus</i>	186
M. GARRO, «Urkulu» pons in Cantabria	187
Gentis Fabiae virtus	188
Pueri rident et discunt	190
Miscentes utile dulci	191
Latine Canamus: «Barbapum». — Verborum aenigma	192

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXX (FASC. III) — N. 171

M. SEPTEMBRI

A. MCMLX

DE CICERONIS LOGICA

In exponenda philosophia Ciceronis etsi fere numquam scientia logicae huius praeclari viri tangitur, tamen semper et ubique in vita scriptisque Tullii logica permultum valuit; etenim ita ipse confessus est «eram cum Stoico Diodoto, qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper [anno 59] est domi meae mortuus; a quo cum in aliis rebus tum studiosissime in dialectica exercebar» (*Brut.* 90, 309); praeterea ita rettulit: «Diodotus Stoicus caecus multos annos nostrae domi vixit; is vero, quod credibile vix est, cum in philosophia multo etiam magis adsidue quam antea versaretur et cum fidibus Pythagoreorum more uteretur cumque ei libri noctes et dies legerentur, quibus in studiis oculis non egebat, tum quod sine oculis fieri posse vix videtur, geometriae munus tuebatur, verbis praecipiens discipulis, unde quo quamque lineam scriberent» (*Tusc.* 5, 39, 113). Quam ob rem logicae Ciceronis totius descriptio hoc loco potissimum nobis aggredienda videtur.

Ars cogitandi, quam hodie «logicam» vocamus, antiquissimis temporibus plerumque «dialectica», perraro autem «logica» appellabatur, etsi utrumque nomen eandem rem significabat; jam in Academia Platonis (*Ac. Post.* 1, 5, 19) haec logica una e tribus totius philosophiae partibus erat (cf. *Diogenes Laërtius* 1, 18); postea Stoici easdem tres disciplinas colebant, ut elucet ex Diogene Laërtio 7, 39, et imprimis logicae studebant, quam semper «dialecticam» nominabant; Galenus (129.200) quoque parvam logicam suam «introductionem dialecticam» inscripsit; hanc igitur divisionem philosophiae tripartitam etiam apud Ciceronem obviam nunc primo proferamus.

«Fuit... jam accepta a Platone philosophandi ratio triplex: una de vita et moribus, altera de natura et rebus occultis, tertia de disserendo et, quid verum quid falsum, quid rectum in oratione pravumve, quid consequens quid repugnans, iudicando» (*Ac. Post.* 1, 5, 19).

«Totam philosophiam tres in partes diviserunt, quam partitionem a Zenone esse retentam videmus» (*De Fin.* 4, 2, 4).

•Est forma ejus disciplinae [= Peripateticorum] sicut fere ceterarum, triplex: una pars est naturae, disserendi altera, vivendi tertia (*De Fin.* 5, 4, 9).

•Ad investigandam veritatem studio incitato, ex quo triplex ille animi fetus existet: unus in cognitione rerum positus et in explicacione naturae, alter in discriptione expetendarum fugiendarumve rerum et in ratione vivendi, tertius in judicando, quid cuique rei sit consequens, quid repugnans, in quo inest omnis cum subtilitas disserendi tum veritas judicandi» (*Tusc.* 5, 24, 68).

•Philosophia in tres partes est tributa: in naturae obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam atque mores» (*De Or.* 1, 15, 68).

Postquam totius philosophiae partes tres enumeravimus, ad eos Ciceronis locos transeamus, quibus logica tantum commemoratur; tradentur igitur primo verba, quibus simul plures actiones logicae exprimuntur.

•In altera philosophiae parte, quae est quaerendi ac disserendi, quae «logiké» dicitur, iste vester [= Epicurus] plane, ut mihi quidem videtur, inermis ac nudus est: tollit definitiones; nihil de dividendo ac partiendo docet; non, quomodo efficiatur concludaturque ratio, tradit; non, qua viō captiosō solvantur, ambigua distinguantur, ostendit; judicia rerum in sensibus ponit, quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne iudicium veri et falsi putat» (*De Fin.* 1, 7, 22).

•Quid... ab antiquis ex eo genere, quod ad disserendum valet, praetermissum est? qui et definierunt plurima et definiendi artis reliquerunt, quodque est definitioni adjunctum, ut res in partes dividatur, id et fit ab illis et quemadmodum fieri oporteat traditur; item de contrariis, a quibus ad genera formasque generum venerunt; jam argumenti ratione conclusi caput esse faciunt ea, quae perspicua dicunt, deinde ordinem sequuntur, tum quid verum sit in singulis, extrema conclusio est; quanta autem ab illis varietas argumentorum ratione concludentium eorumque cum captiosis interrogationibus dissimilitudo!» (*De Fin.* 4, 4, 8-9).

Vides autem... non posse nos Amafinii aut Rabirii similes esse, qui nulla arte adhibita de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputant; nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique artem esse nec dicendi nec disserendi putant; nos autem praeceptis dialecticorum et oratorum etiam, quoniam utramque vim unam esse nostri putant, sic parentes, ut legibus, verbis quoque novis cogimur uti, quae docti... a Graecis petere malent, indocti ne a nobis quidem accipient, ut frustra omnis suscipiatur labor» (*Ac. Post.* 1, 2, 5).

•Scientiam autem nusquam esse censebant nisi in animi notionibus

atque rationibus; qua de causa definitiones rerum probabant et has ad omnia, de quibus disceptabatur, adhibebant, verborum etiam explicatio probabatur, id est: qua de causa quaeque essent ita nominata, quam «etymologian» appellabant; post argumentis quibusdam et rerum notis quasi ducibus utebantur ad probandum et ad concludendum id, quod explanari volebant; in quo tradebatur omnis dialecticae disciplina, id est: orationis ratione conclusae; huic quasi ex altera parte oratoria vis dicendi adhibebatur, explicatrix orationis perpetuae ad persuadendum accommodatae» (*Ac. Post.* 1, 8, 32).

«Quid igitur iudicabit [sc. philosophia]? quae conjunctio, quae diiunctio vera sit, quid ambigue dictum sit, quid sequatur quamque rem, quid repugnet» (*Luc.* 28, 91)... «quae [sc. philosophia] primo progressu festive tradit elementa loquendi et ambiguum intelligentiam concludendique rationem, tum paucis additis venit ad scortas, lubricum sane et periculosum locum...» (*Luc.* 28, 92).

«Quanta primum intelligentia, deinde consequentium rerum cum primis conjunctio et comprehensio esset in nobis, ex quo videlicet, quid ex quibusque rebus efficiatur idque ratione concludimus singulasque res definimus circumscripenteque complectimur, ex scientia intellegitur, quam vim habeat, qualis sit...» (*De Nat. deor.* 2, 59, 147).

«Ex tribus istis clarissimis philosophis, quos Romam venisse dixisti, videsne Diogenem [sc. Stoicum] eum fuisse, qui diceret se artem tradere bene disserendi et vera ac falsa diiudicandi, quam verbo Graeco «*dialektikén*» appellaret? in hac arte, si modo est haec ars, nullum est praeceptum, quo modo verum inveniatur, sed tantum est, quo modo iudicetur; nam etiam omne, quod eloquimur sic, ut id aut esse dicamus aut non esse, etsi simpliciter dictum sit, suscipiunt dialectici, ut iudicent, verumne sit an falsum, et si conjuncte sit elatum et adjuncta sint aliqua, iudicant, rectene [sc. sequentia] adjuncta sint et verane an falsa summa sit unius cujusque rationis» (*De Or.* 2, 38, 157-158).

(Scaevola numquam magnus vir juris consultus fuisset) «nisi eam praeterea didicisset artem, quae doceret rem universam [=genus] tribuere in partes [=species], latentem explicare definiendo, obscura explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa iudicarentur et quae quibus propositis essent quaeque non essent consequentia; hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam quasi lucem ad ea, quae confuse ab aliis aut respondebantur aut agebantur» (*Brut.* 41, 152).

«Eum censeo, qui eloquentiae laudes ducatur, non esse earum rerum omnino rudem, sed vel illa antiqua [= Aristotelis] vel hac Chrysippi disciplina institutum: noverit primum vim, naturam, genera verborum et simplicium et copulatum, deinde: quot modis quidque

dicatur, qua ratione verum falsumne sit, tum judicetur quid efficiatur e quoque, quid cuique consequens sit quidque contrarium, cumque ambigue multa dicantur, (judicetur) quo modo quidque eorum dividi explanarique oporteat» (*Orator* 32, 115).

«Nec vero sine philosophorum disciplina genus et speciem cuiusque rei cernere neque eam definiendo explicare nec tribuere in partes possumus nec judicare, quae vera, quae falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere» (*Orator* 4, 16).

«Partiri ipsum et definire et ambigui partitiones dividere et argumentorum locos nosse et argumentationem ipsam concludere et videre, quae sumenda in argumentando sint quidque ex eis, quae sumpta sunt, efficiatur, et vera a falsis, veri similia ab incredibilibus dijudicare et distinguere et aut male sumpta aut male conclusa reprehendere et eadem vel anguste disserere ut dialectici qui appellantur, vel ut oratorem decet, late expromere, illius exercitationis et subtiliter disputandi et copiose dicendi artis est» (*Part. Orat.* 40, 139).

«Sequitur tertia [sc. cogitatio], quae per omnes partes sapientiae manat et funditur, quae rem definit, genera dispertit, sequentia adjungit, perfecta concludit, vera et falsa dijudicat, disserendi ratio et scientia...» (*Tusc.* 5, 25, 72).

[Ratio] «tertia de disserendi et, quid verum quid falsum, quid rectum in oratione pravumve, quid consequens, quid repugnans, iudicando» (*Ac. Post.* 1, 5, 19).

«Virtus omnis tribus in rebus fere vertitur, quarum una est in perspicendo, quid in quaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, ex quo quaeque gignantur, quae cuiusque rei causa sit...» (*De Off.* 2, 5, 18).

«Haec omnia quasi saepimento aliquo vallabit disserendi ratione, veri et falsi iudicandi scientiā et arte quadam intellegendi, quid quamque rem sequatur et quid sit cuique contrarium» (*De Leg.* 1, 24, 62).

«In dialectica [secundum Stoicos]... et verborum vis et natura orationis et consequentium repugnantiumve ratio potest perspicere» (*De Fin.* 1, 19, 63).

«Sunt... aliae quasi ministrae comitesque sapientiae; quarum altera, quae sint in disputando vera atque falsa quibusque positis quid sequatur, distinguit et iudicat; quae virtus omnis in ratione scientiaque disputandi sita est» (*Part. Or.* 23, 78).

Ad illa testimonia de dialectica prolixiora nunc definitiones et descriptiones ejusdem logicae multo breviores adjungantur.

[Dialectica est] «ars bene disserendi et vera ac falsa dijudicandi, quam verbo graeco *διαλεκτικήν* (appellabat Diogenes Stoicus) (*De Or.* 2, 38, 157).

«Omnis ratio diligens disserendi duas habet artes: unam inveniendi, alteram iudicandi; ...iudicandi... vias diligenter [Stoici] persecuti sunt eā scientiā, quam *διαλεκτικήν* appellant» (*Topica* 2, 6).

«Cumque duae sint artes, quibus perfecte ratio et oratio compleatur, una inveniendi, altera disserendi, hanc posteriorem et Stoici et Peripatetici, priorem autem illi [= Peripatetici] egregie tradiderunt, hi omnino ne attigerunt quidem» (*De Fin.* 4, 4, 10).

«Hic mos... Stoicus iste nihil adjuvat, quoniam, quemadmodum inveniam quid dicam non docet» (*De Or.* 2, 38, 159).

«Obscura quaestio est, quam *περὶ δυνατῶν* philosophi appellant, totaque est *λογική*, quam rationem disserendi voco» (*De Fato*, 1, 1).

«Altera philosophiae pars, quae est quaerendi ac disserendi, quae *λογική* dicitur» (*De Fin.* 1, 7, 22).

«In hoc ipso, quod in elementis dialectici docent, quomodo iudicare oporteat, verum falsumne sit, si quid ita conexum est ut hoc «si dies est, lucet», quanta contentio est! aliter Diodoro, aliter Philoni, Chrysippo aliter placet» (*Luc.* 47, 143).

«Nec habent istam artem vestram [= dialecticam], qua vera et falsa dijudicent» (*Luc.* 33, 107).

«Fundamentum dialecticae est. quidquid enuntietur..., aut verum esse aut falsum» (*Luc.* 29, 95).

«Duo sunt haec maxima in philosophia: iudicium veri [= dialectica] et finis bonorum [= ethica]» (*Luc.* 9, 29).

[Dialectica pertinet ad philosophiam] «haec enim est regula totius philosophiae: constitutio veri falsi, cogniti incogniti» (*Luc.* 9, 29).

«Dum dialecticam... contemnit Epicurus, quae una continet omnem et perspicendi, quid in quaque re sit, scientiam et iudicandi, quale sit quidque, et ratione ac via disputandi, ruit in dicendo...» (*De Fin.* 2, 6, 18).

«Dialecticam inventam esse dicitis veri et falsi quasi disceptatricem et iudicem» (*Luc.* 28, 91).

«In oratore autem acumen dialecticorum... est requirendum.» (*De Or.* 1, 28, 128); (dialectica enim maxime acumine mentis praestat).

«Habes ea, quae de perturbationibus enucleate disputant Stoici, quae *λογικά* appellant, quia disseruntur subtilius» (*Tusc.* 4, 14, 33).

«Sine hac arte [= dialectica] quemvis arbitrantur a vero abduci fallique posse» (*De Fin.* 3, 21, 72).

(Dialectica est) «ista ars tota, quae in excogitandis argumentis muta nimium est, in iudicandis nimium loquax» (*De Or.* 2, 38, 160).

(Dialectica) «sequitur tertia [sc. cognitio], quae per omnes partes sapientiae manat et funditur» (*Tusc.* 5, 25, 72).

(Dialectica est) «ars... disserendi» (*Ac. Post.* 1, 2, 5); «disserendi ars» (*De Fin.* 1, 8, 26); «disserendi ratio» (*Brut.* 31, 120); «disserendi ratio» (*De Fin.* 4, 48; *Topica* 2, 6); «disserendi ratio et scientia» (*Tusc.* 5, 25, 72); «ad commodius disserendum via» (*De Fin.* 1, 19, 63); Dialectica constat «in quaerendo et disserendo» (*Luc.* 10, 32); (Dialectica est) «tertia... philosophiae pars, quae erat in ratione et in disserendo» (*Ac. Post.* 1, 8, 30).

(Dialecticae est) «...ea quae dicas, ratione et arte distinguere» (*De Fin.* 4, 4, 10).

(In dialectica) «verborum vis et natura orationis et consequentium repugnantiumve ratio potest perspicui» (*De Fin.* 1, 19, 63).

«Si ars (dialecticae), si ratio, si via, si vis denique conclusionis valet, eadem est in utroque» (*Luc.* 30, 96).

«Omnis dialecticae disciplina, id est orationis ratione conclusae» (*Ac. Post.* 1, 8, 32).

«Multa... a te contra istam sententiam dicta sunt... et Stoicorum ratione conclusa» (*Tusc.* 5, 29, 83).

«Et invenire et judicare quid dicas, magna illa quidem sunt et tamquam animi instar in corpore, sed propria magis prudentiae quam eloquentiae» (*Orator* 14, 44), (hoc loco «prudentia» idem ac «dialectica» valet).

«Hanc... cogitandi pronuntiandique rationem vimque dicendi veteres Graeci sapientiam nominabant» (*De Or.* 3, 15, 56); (hoc loco dialectica = ratio commemoratur).

«Illa... eloquentia, quam dialecticam dilatatam esse putant» (*Brut.* 90, 309).

«Ante hunc [Zenonem Stoicum] Aristoteles principio artis rhetoricae dicit illam artem [= eloquentiam] quasi ex altera parte respondere dialecticae, ut hoc videlicet differant inter se, quod haec ratio dicendi [= eloquentia] latior sit, illa loquendi [= dialectica] contractior» (*Orator* 32, 114).

«Zenonis est... hoc Stoici: omnem vim loquendi, ut jam ante Aristoteles, in duas tributam esse partes, rhetoricam palmae, dialecticam pugni similem esse dicebat, quod latius loquerentur rhetores; dialectici autem compressius» (*De Fin.* 2, 6, 17).

«Quo fit ut veram illam et absolutam eloquentiam nemo consequatur, quod alia intellegendi, alia dicendi disciplina est et ab aliis rerum, ab aliis verborum doctrina quaeritur» (*Orator* 5, 17); (unde manifestum est dialecticam disciplinam intellegendi ac rerum doctrinam esse).

«Disputandi ratio et loquendi dialecticorum sit, oratorum autem dicendi et ornandi» (*Orator* 32, 113).

(Dialectica) «vicina ejus [= facultatis dicendi] atque finitima dialecticorum scientia» (est) (*Orator* 32, 113).

«Quam hoc idem in nostris contingere intellego quod in Graecis, ut omnes fere Stoici prudentissimi in disserendo sint et id arte faciant sintque architecti paene verborum, eidem traducti a disputando ad dicendum inopes reperiantur» (*Brut.* 31, 118).

«Dialecticorum... verba nulla sunt publica; suis utuntur» (*Ac. Post.* 1, 7, 25).

«Dialectici et physici verbis utuntur iis, quae ipsi Graeciae nota non sint» (*De Fin.* 3, 1, 4).

«Oraculis Chrysippus totum volumen implevit partim falsis... partim veris... partim flexiloquis et obscuris... partim ambiguis et quae ad dialecticum deferenda sint» (*De Divin.* 2, 56, 115).

(Dialectica est virtus) «quod habeat rationem, ne cui falso adsentiamur neve umquam captiose probabilitate fallamur, eaque, quae de bonis et malis didicerimus, ut tenere tuerique possimus» (*De Fin.* 3, 21, 72).

«Stoici vero nostri disputationum suarum atque interrogationum laqueis te inretitum tenerent» (*De Or.* 1, 10, 43); (unde patet dialecticam disputationibus et interrogationibus constare).

«Recite... si omnibus in rebus temeritas ignoratioque vitiosa est, ars ea [= dialectica], quae tollit haec, virtus nominata est» (*De Fin.* 3, 21, 72).

(Dialecticam) «hanc ego subtilitatem philosophia quidem dignissimam judico, sed ab eorum causa, qui ita disserunt, remotissimam; definitiones enim et partitiones et locorum luminibus utens oratio, tum similitudines dissimilitudinesque et earum tenuis et acuta distinctio fidentium est hominum...» (*Luc.* 14, 43).

«Ex eis (septem) modis conclusiones innumerabiles nascuntur, in quo est tota fere *διαλεκτική*» (*Topica* 14, 57).

«Quomodo aut «mentientem» quem «pseudomenon» vocant, dissolvas aut quemadmodum «soriti» resistas? quem si necesse sit latino verbo liceat «acervalem» appellare, sed nihil opus est; ut enim ipsa «philosophia» et multa verba Graecorum, sic «sorites» satis latino sermone tritus est: ergo haec quoque dialectici dicent, non divini» (*De Divin.* 2, 4, 11).

«Tunc pseudomenon et soritam et totam dialecticam aut illudis aut increpas?» (*Hortensius* fr. 45).

Ad «rerum Stoicarum scientiam» pertinet etiam dialectica (*Brut.* 47, 175).

«Istorum [Stoicorum] in dialecticis omnis cura consumitur» (*Brut.* 31, 119).

•Alii etiam, ut dialectici novum sibi ipsi studium ludumque pepererunt atque in eis artibus, quae repertae sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur atque virtutem, omne tempus atque aetates suas consumpserunt» (*De Or.* 3, 15, 58).

•Ad easque virtutes [= amicitiam et justitiam], de quibus disputatum est, dialecticam etiam adjungunt et physicam easque ambas virtutum nomine appellant» (*De Fin.* 3, 21, 72).

(Est) •haec ars omnium artium maxima quasi lux ad ea, quae confuse ab aliis aut respondebantur aut agebantur, dialectica... (*Brut.* 41, 152).

•Haec conscripsi... accubans apud Vestorium, hominem remotum a *dialecticis*, in arithmetiis satis exercitatum» (*ad Att.* 14, 12, 3); (hoc loco •*dialectica*» significat artem cogitandi propriam, quae una de septem artibus liberalibus est, ut manifestum est e contrario •*arithmetica*»; ille Vestorius minime facultate profundius cogitandi, immo vi computandi excellebat).

Cicero igitur ad •*logicam*» significandam hisce vocabulis usus est, quae sequuntur:

ars disserendi, ars judicandi, dialectica, *διαλεκτική*, disciplina intelligendi, doctrina rerum, iudicium veri, logica, *λογική*, pars (philosophiae) quaerendi ac disserendi, prudentia, ratio cogitandi et pronuntiandi, ratio disputandi, ratio disserendi, ratio et oratio, ratio loquendi (= colloquendi), sapientia, scientia disserendi, scientia perspicendi.. iudicandi.. disputandi.

Denique licet ea referre, quae Plutarchus in •*Vita Ciceronis*» 40, naravit: •ei (Ciceroni) autem opus propositum erat, dialogos philosophicos conficere et opera graeca latine reddere et unumquodque vocabulorum *dialecticorum* vel naturalium in linguam latinam convertere».

Postremo *historiam logicae* e Ciceronis locis ordine philosophorum •*alphabetico*» proponimus.

ALEXINUS (ex oppido Elide in Peloponneso) fuit dialecticus, qui contorta et aculeata quaedam sophismata scripsit (*Luc.* 24, 75); fuit adversarius Zenonis Stoici (*Diog. L.* 2, 109).

ANTIOCHUS (Ascalonita) simul Academicus et Stoicus fuit, qui dialecticam Xenocratis, Aristotelis, Chrysippi sequebatur (*Luc.* 46, 143); vixit circiter; ab anno 120 ad annum 69 a. Chr. n.

ANTIPATER (Tarsensis) Stoicus aequae atque Chrysippus dialecticam coluit (*De Divin.* 2, 49, 101); fuit princeps dialecticorum (*Luc.* 47, 143); anno 150 successit Diogeni Stoico.

ARCESILAS (conditor Academiae recentioris) contra omnia semper dixit (*De Fin.* 5, 4, 10); anno 276 Crateti successit et anno 241 obiit.

ARCHIDEMUS (Tarsensis) Stoicus princeps dialecticorum fuit (*Luc.* 47, 143).

ARISTOTELES (384-322) disserendi praecepta tradidit et exercitationem in utramque partem dicendi de singulis rebus instituit (*De Fin.* 5, 4, 10); Aristoteles •quo... nihil est acutius,

nihil politius» (*Luc.* 46, 143); ipse Aristoteles tradidit praecepta plurima disserendi (*Diog. L.* 5, 28); et postea qui dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt (*Orator* 32, 114); cum omnis ratio diligens disserendi duas habet artes: unam inveniendi, alteram iudicandi, utriusque princeps Aristoteles fuit (*Topica* 2, 6).

CARNEADES a Diogene Stoico dialecticam didicerat (*Luc.* 30, 98); Carneades... egregia quaedam exercitatione in dialecticis (fuit) (*De Fin.* 3, 12, 41); anno 155 Romae legatus Athenarum fuit; annos octoginta quinque natus anno 129 obiit.

CHRYSIPPUS (282-209): ab hoc (Chrysippo) autem quaedam non melius quam veteres, quam omnino relicta; (*De Fin.* 4, 4, 9, cf. *Diog. L.* 7, 180); de quibus, quae dialectici nunc tradunt et docent... a Chrysippo maxime est elaboratum...; contendit omnes nervos Chrysippus, ut persuadeat omne ἀξίωμα aut verum esse aut falsum (*De Fato* 10, 21); a Chrysippo defenditur omnem enuntiationem aut veram aut falsam esse (*De Fato* 16, 38); ...postea qui dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt... (haec est) Chrysippi disciplina (= dialectica) (*Orator* 32, 115). Chrysippus et Stoici, cum de animi perturbationibus disputant, magnam partem in his partiendis et definiendis occupati sunt (*Tusc.* 4, 5, 9). Chrysippus, columen sectae Stoicae, de implicatione materiali, quam logicae periti «conexum» appellant, aliter sensit atque alii Stoici; «in hoc ipso, quod in elementis dialectici docent, quo modo iudicare oporteat, verum falsumne sit, si quid ita conexum est ut hoc «si dies est, lucet» quanta contentio est! aliter Diodoro, aliter Philoni, Chrysippo aliter placet»; his verbis Ciceronis (*Luc.* 47, 143) tres modi materialis implicationis (= syllogismi hypothetici) differentes, ut veri simillimum est, in doctrina Stoicorum memorantur, quos Cicero ipse a Diodoto Stoico familiarissimo suo cognovisse videtur.

CICERO (106-43): «multos in dialecticis cognovimus et audivimus» (*De Off.* 1, 6, 19); Cicero vias Antiochi Academicum etiam in dialectica sequi voluit (*Luc.* 30, 98); idem Cicero a Diodoto Stoico studiosissime in dialectica exercebatur (*Brut.* 90, 309).

CLEANTHES (331-232 Assius) Stoicus librum de dialectica scripsit (cf. *Diog. Laert.* 7, 175) et Chrysippum docuit (*Luc.* 47, 143).

CRATIPPUS (Mytilenaeus, Ciceroni aequalis amicissimus) Peripateticorum omnium facile princeps filium Ciceronis philosophiam et dialecticam Athenis (a. 43) docuit (*De Divin.* 2, 49, 101).

CYRENAICI qui Aristippi (c. 435-350) dogmata sequebantur (cf. *Diog. Laert.* 2, 86, 92) quaestionibus dialecticis studebant (*Luc.* 46, 142).

DIODORUS (Cronus anno 320 fere) dialecticus fuit, qui contorta et aculeata quaedam sophismata composuit (*Luc.* 24, 75); dialecticae studuit (*Luc.* 47, 143); Diodorus valens dialecticus fuit (*De Fato* 6, 12).

DIODOTUS (doctor et familiaris prope annos c. 89-54) Stoicus Ciceronem studiosissime in dialectica exercebat (*Brut.* 90, 309).

DIOGENES (Babylonius) Stoicus artem bene disserendi et vera ac falsa diiudicandi tradidit, quam verbo graeco διαλεκτικήν appellant (*De Or.* 2, 38, 157; *De Divin.* 2, 49, 101); anno 155 ab Atheniensibus legatus Romam missus est

EPICURUS (342-271) contemnit dialecticam (*De Fin.* 2, 6, 18); totam dialecticam et contemnit et irridet (*Luc.* 30, 97); totam evertit dialecticam (*Luc.* 30, 97); in dialectica nullam existimavit esse... ad commodius disserendum viam; in physicis plurimum posuit, etiam actiones dialecticae illis attribuit (*De Fin.* 1, 19, 63).

PERIPATETICI dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lycio (*Ac. Post.* 1, 4, 17); Peripatetici et Academicum veteres quondam idem erant (*De Or.* 3, 18, 67); Peripatetici genus argumentandi per ratiocinationem summe frequentarunt (*De Invent.* 1, 35, 61); Peripatetici... spinas partiendi et definiendi praetermittunt (*Tusc.* 4, 5, 9); est... eorum (= Peripateticorum) consuetudo dicendi non satis acuta propter ignorantiam dialecticae (*De Fin.* 3, 12, 41).

PHILO (Larissaeus) Academicus Athenis Romam (a. 88) fugit, ubi Cicero eum admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus audivit (*Luc.* 47, 143); obiit circa annum 60.

PLATO (Atheniensis 427-347) princeps Academiae intellegendi (= dialecticae artis) gravissimus auctor et magister fuit (*Orator* 3, 10).

STILPO (c. 370-290, Megaricus) contorta et aculeata quaedam sophismata scripsit (*Luc.* 24, 75).

THEOPHRASTUS (c. 370-288, Eresius) Peripateticus, Aristotelis discipulus, disserendi praecepta tradidit (*De Fin.* 5, 4, 10); aequalis Stilponis Megarici fuit.

VARRO (116-28, Reatinus) in «Menippeis» multa dicta dialectice protulit (*Ac. Post.* 1, 2, 8).

XENOCRATES (396-314, Chalcedontus) libros de ratione loquendi multos et multum probatos scripsit (*Luc.* 46, 143); aequalis Aristotelis fuit.

ZENO (Citienensis, 334-262) Stoicorum princeps, dialecticae primum locum in philosophia tribuit (cf. *Diog. Laert.* 7, 40) et dialecticam cum digitis compressis pugnoque comparavit (*Orator* 32, 115); ea quae dialectici nunc tradunt et docent, nonne ab illis (antiquis) instituta sunt? .. tamen a Zenone minus multo quam ab antiquis (*De Fin.* 4, 4, 9).

Stoici in genere, sine nomine proprio, afferuntur: ratio disserendi (= dialectica) duas habet artes: unam inventendi, alteram iudicandi... Stoici... in altera elaboraverunt; iudicandi enim vias diligenter persecuti sunt ea scientia quam *διαλεκτική* appellant; inventendi artem, quae *τοική* dicitur quaeque et ad usum potior erat et ordine naturae certe prior, totam reliquerunt (*Topica* 2, 6); Stoicorum subtile vel spinosum disserendi genus (*De Fin.* 3, 1, 3); Stoicorum definitionibus et partitionibus, qui mihi videntur in hac quaestione versari acutissime (*Tusc.* 4, 5, 11); Stoicorum conclusio rationis (*De Divin.* 2, 49, 101); postea (= post Aristotelem) qui dialectici (= Stoici) dicuntur, spinosiora multa pepererunt (*Orator* 32, 114); Ita fit illa conclusio non solum vera, sed ita perspicua ut dialectici (= Stoici) ne rationem quidem reddi putent oportere (= *ἀναπόδεικτον*) (*De Fin.* 4, 19, 55); Stoici (*De Divin.* 2, 50, 103) = dialectici (*De Divin.* 2, 50, 104); Dialectici... verbis utuntur iis, quae ipsi Graeciae nota non sint (*De Fin.* 3, 1, 4); Omnis enuntiatio, quod *ἄξιωμα* dialectici appellant (*De Fato* 10, 20); Distinguunt illud etiam, ut libido sit earum rerum, quae dicuntur de quodam aut quibusdam, quae *κατηγορήματα* dialectici appellant (*Tusc.* 4, 9, 21); A quibus (= dialecticis Stoicis)... traditum (est) in omnibus disjunctionibus, in quibus «aut etiam aut non» poneretur, alterum utrum esse verum (*De Nat. Deor.* 1, 25, 70); Cum dialectici (= Stoici) sic statuunt: omne, quod ita disjunctum sit quasi «aut etiam aut non modo verum esse sed etiam necessarium (*Luc.* 30, 97); Demus tibi istas duas sumptiones, ea quae *λήμματα* appellant dialectici (= Stoici), sed nos latine loqui malimus (*De Divin.* 2, 53, 108); Et tu quidem, Vellei, non vestro (= Epicureorum) more, sed dialecticorum (= Stoicorum), quem funditus gens vestra non novit, argumenta sententiae conclusisti (*De Nat. Deor.* 1, 31, 89).

Numero multo majore Stoicorum testimoniorum certo efficitur Cicero-nem dialecticam solum illorum philosophorum sensu intellexisse et adhibuisse; etiam id ipsum videtur affirmare illam dialecticam jam inde a Platone usque ad Stoicos, Ciceronis aequales semper, eandem mansisse neque umquam mutationem graviolem passam esse.

His breviter scriptis introductio quaedam in Ciceronis logicam exacta unaque historia parva ejusdem artis dialecticae antiquae adumbrata est.

DE NYMPHIS ET MUSIS

Deae illae blandissimae, quas Graeci vocabant Nymphas et Musas, vel hodie habent, unde delectemur. Ut enim pulchritudine caeli stellati, vario florum colore segetumque recenti virore gaudere solemus, ita Graeci, natura vates, inde adeo oblectabantur, ut regiones amoenas a deis habitatas arbitrentur.

DIANA - NYMPHAE. — Quarum dearum primum obtinet locum Artemis sive Diana, nemorum, montium venationumque dux ac regina, circa quam reliquae Nymphae glomerantur. Nymphas montium cacumina incolere vates graeci antiquitus norant. Narrat enim Hesiodus Nymphas Orestiadēs, cum constituissent, montes incolere. (*Theog.* 130). Cantat Homerus Nymphas Sipylum montem habitare et juxta flumen Achiloum choreas ducere (*Il.* 24, 615). Antra earum esse fana atque a pastoribus aliisque piis hominibus inuisa, qui a Nymphis inducti dona offerre solerent. Exstat enim ipsa nostra aetate ejusmodi fanum in Hymetto monte. In imo specus fundo fons limpidus manat et excisa e muro Nymphae statua conspicitur. (*Americ. Journ. Arch.* VII, 1903, 268). Quod fanum a multis invisum esse ex documentis constat. Nam ex. gr. Archedamus saeculo a. Chr. n. V narrat se a Nymphis correptum spelaeum adornasse areamque Nymphis choreas ducentibus aedificasse.

NAIADES - DRYADES. — Jam vero ubi specus horrent, ibi fontes murmurant et prata florum plena reident. Hinc specus Calypso sacer fagis cingitur, in quibus aves nidificant. Fontes quattuor in partes omnes emanant (*Od.* 5, 57). Supra Ithacae portum olea viret et prope specum apum nidus videtur (*Od.* 13, 57). Nymphae autem, quae specus incolunt, Naiades, quae arbores, Dryades vocari solebant. Aqua ex fonte hausta, cum usui sit, religione quadam utimur. Unde non mirum viatores, qui sese eo apud Ithacam fonte recreassent, in ara prope erecta sacrificare consuevisse (*Od.* 17, 205). Omnes enim aquae fontanae vires medicae Nymphis tribuebantur.

NYMPHAE ET SPONSAE — Ideo mira inter Nymphas et sponsas (graece nymphas) conjunctio intercedebat. Nam sponsa, quae corpus fonte aliquo Nymphis sacro ante nuptias lavarat, his Nymphis peculiari modo devinciebatur. Praeterea sponsae omnes, ut partus bene ederent et educarent, Nymphis sacrificare solebant (*EURIP. El.* 626). Eaedem Nymphae ob vires fontium salubres «Iatroi» medicae dicebantur (*HESYCH. fragm.*).

SATYRI - HERMES - PAN. — Nec solum Nymphae specus, fontes, nemora incolunt, sed etiam Satyri, earum propinqui. Quorum dux et amator est Hermes, qui amore Nymphae, Dryopis filiae, cujus oves pascebat, captus, Pana filium genuisse dicitur (*HOM. Hymn.* 31 ss). Ipse Pan, naturae totius dominus,

animal potius quam homo, venusta pariterque terrifica facie fuisse traditur. Hunc timebant quidem Nymphae, sed ejus saltandi amorem ac musicam fascinantem diligebant. «Vespere Nymphae de montibus descendunt, Pana invocant, cum eo choreas ducunt, ut vocis imago a saxis reddatur. Ipse Pan modo hic modo illic saltans, pedes numeris apte movet, dexterrimus inter deos saltator» (*l. mem.*). Cujus suavissimam avenam incolae montis Maenoli vel antiquitate exeunte audire se narrant (PAUS. 8, 36, 8). «Sileant montes, sileant fontes, sileant oves balantes. Nam Pan syringe multisona ludit» (*Anth. Pal.* 9, 823).

DAPHNIS - ULIXES - HYLAS - NYMPHAE. — Habuisse Nymphas, quos peculiari modo amarent, carmina pastoria referunt. Diligebatur maxime Daphnis, pastor venustissimus. Ipse Ulixes vero in insulam Ortygiam misere ejectus, Nympham Calypso, quae ipsum retinere maritum et immortalem reddere volebat, studiose diligebat. Quin etiam, dirissima quamvis perpessus et patriae uxorisque amore flagrans, nunquam se e Nymphae blandissimae complexu eripuisset, nisi a diis fuisset liberatus. Hylas quoque puer formosissimus Nymphis pergratus erat. Qui, cum in tenebroso nemore versaretur, dum luna fulget fontesque suaviter murmurant, voces arcanas audiebat, quae ipsum vocare et trahere videbantur. Hunc aquam haustum Nympha aliqua, subito e fonte emersa adamavit, brachium dexterum collo, ut ori oscula figeret, implicuit ipsumque in gurgitem detraxit (APOLL. RHOD. 1, 1207 ss.). Traduntur quoque Nymphae tres in ipso fonte saltantes puerum aquam haurientem, ipsius venustate pellectae, in imum fontem pertraxisse atque eum, dum flebiliter lacrimatur, consolari studuisse et gremio suscepisse (THEOCR. 13). Praeterea vates graeci arbitrabantur suos animos tantopere Nympharum afflatu perturbari, ut ad vesaniam raperentur. Nymphae praesentes spiritum quoque poëticum in animo excitant. (PATO, *Phaedr.* 279, B). Nec mirum. Etenim antiquitus homines credebant inesse in aquis spiritum veri ei vaticinationis vim. Bacis illustrissimi praeclare dicta Nymphas habent auctrices (ARISTOPH. 1070). Quare juxta sedes oraculorum fons sacer ac Nymphae esse solebant. Sub ruderibus templi Apollinis prope Hysias Pausanias puteum viderat, unde vates, ut eventus futuros prospicerent, bibebant (PAUS. 9, 2, 11).

MUSAE. — Jam ad Musas nostra delabitur oratio. Quem nostrum, qui bonis artibus actuosam dedit operam, nomen Musae lateat? Cum tot antiquitatis nomina interierint vel celebritatem amiserint, Musarum nomina in omnibus linguis Europaeis vivunt et, cum Musam dicimus, Musicam attingimus. Novem Musae earumque nomina ab Hesiodo enumerantur: Calliope, Clio, Melpomene, Thalia, Euterpe, Erato, Urania, Polyhymnia, Therpsichore (HES. *Theog.* 77). Homerus, vates philosophique graeci Musas pro deis ducebant. Nam Jovem patrem et Mnemosynam matrem habent communem (*l. c.* 56). «Sub ipso Olympi nivosi vertice Mnemosyne Jovi novem filias peperit. Quare Olympum incolunt. «Olympia domata...» (*Il.* 2, 484; 10, 112; 14,

518). Ipsi quoque diis magnae sunt venerationi, non solum ob ortum divinum, sed etiam propter praestitum in gubernando administrandaque mundo auxilium. Nam cum Juppiter mundum certis legibus constituisset ac reliquos deos, operis pulchritudinem admirantes, interrogasset, num quid desiderarent, ubi unam desiderari vocem responderunt, qua opus illustrissimum verbis et numeris praedicaretur, creavit Musas. Unde non mirum primo quod ad nos pervenit opere, graece conscripto, Homerum Musam invocare deam (*Il.* 1, 1). Canere enim deorum proprium. Musae enim deorum vitam beatam, eorum in orbem ingressum, rerum omnium originem, mortalium fata varia canunt (*Theog.* 11 ss., 43 ss., 70 ss.). Inspirant quoque vates, canere docent et, cum omnia sciant, non solum vates, sed etiam reges sese eis committunt (*Il.* 2, 485). Jam vero cum Caesare Augusto imperante poëtae latini sese vates appellare coepissent, Flaccus praeclarissimo ad Romanos carmine Musam e caelo devocat, sibi praesentem sentit, se a puero protectum ab eis, ex omnibus deinceps vitae periculis ereptum iisque praesentibus cuilibet tempestati hilari animo obviam iturum praedicat. Neque eum latet Musas Caesari mite dare consilium et eum specu Pierio refecturas, si summas bellorum miserias tandem mitigare velit (*Hor.* 3, 4).

Quemadmodum Musae, cum canunt, verum dicunt, ita omne sciendi cognoscendique studium plurimum fovent. Ideo Socrates philosophiam nobilissimam Musarum artem appellat (*Plat. Phaed.* 61 A). Empedocles in illo de natura carmine Musam sollemniter invocat: «Te, Musa clarissima, oro atque obsecro, ut, quantum mortalibus audire fas est, e domo «pietatis» currum regas» (*Fragm.* 3). Iisque fere verbis Pindarus de «Musarum curru», quem conscendere vati liceat, loquitur (*Ol.* 9, 80). Calliopem, Musarum nobilissimam regumque adjutricem, una cum Urania omnium philosophorum patronam esse et eorum, qui harum Musarum musicam venerentur, Socrates dicit (*Phaed.* 279 B). Plato suos Academiae discipulos in Musarum templum, Museum, convocare consuevit. Nec solum philosophia Musarum auxilio indiget, sed etiam vera scientia et omne recte agendi faciendique genus. Ipsi milites modestiam moderationemque Musis acceptam referunt. Hinc Spartiatae ante signa inferenda Musis sacrificabant, ne magis pugnandi ardore caeco quam consilio uterentur (*PLUT. de coh. ira* 10).

MUSARUM FILII - ORPHEUS. — Musas quamvis virgines filios habuisse tradunt, praeclaris naturae dotibus instructos, sed sortem tragicam plurimum perpeccos. Nonne Musae deorum aeternam beatitudinem et corporis dolores, quos tolerant mortales, canunt, qui nec aetatis arcendae nec certum mortis defendendae remedium invenire possunt? (*HOM. hymn.* 5, 150). Eminent inter Musarum filios Orpheus, qui quanta vis in cantu suavi insit, est exemplo. Dimisit quidem Mars, Musarum cantu permotus arma, sed cum Orpheus cantabat, non solum homines, sed et saxa, flumina, arbores auscultabant, ferae sese ad cantantis pedes abiciebant, quin etiam Ipse Minus, Orci domi-

nus dirissimus, mitigatus est. At ut corpus umbra sequi solet, ita fata nigra Orphea persequabantur. Nam Euridice, uxor carissima, praematura morte exstincta est neque ipse Orpheus aliud cantu lugubri effecit, nisi ut ex Stygis umbris defuncta paulisper rediret. Idem ob summam Apollinis et Solis venerationem Dionysi iram et invidiam nactus est. Nam cum mane quodam, ut solebat, Solem ortum salutasset, a furiosis Dionysi uxoribus dilaceratus est. Sed caput cantoris abscissum canere perrexisse ejusque lyram suaviter resonuisse multosque fascinasse ferunt. Atque ipsius memoria inter cultores, qui sese Orphicos nominabant, diu vixit. Canere consuevit Orpheus ut Musae divinam rerum originem et deorum regni inconstantiam. Maxime autem omnibus acceptus erat, eo quod in stygia regna descendisset et defunctorum didicisset sortes.

MUSARUM SEDES. — Tandem de Musarum sedibus pauca ponamus. Sedes celeberrima Lympius mons erat, ubi Musas natas Jovem patrem cantu oblectasse Hesiodus narrat et in Helicone monte circa fontem sacrum et permagnam Jovis aram saltasse (*Theog.*). Thespia quinto quoque anno in eodem monte Musis honorandis ludos sollemnes magnifico sumptu celebrique pompa facere solebant (PLUTARCH. *Amet.* 1). Eodem loco Philippus Macedonum rex post insignem apud Chaeroneam pugnam Musis sacrificavit ipsiusque filius Alexander, antequam in Asiam suo imperio subiciendam traiceret, diis caesis hostiis supplicavit (Dio. *Orat.*, 2, 2; 17, 16). Quis est, qui nesciat, quantopere Helicon mons a vatibus sit celebratus? Nec minus Delphis Musarum cultus perantiquus florebat. Ibi enim prima Sibylla de Helicone delata a Musis est educata (*Pluth. Pyth. orac.* 9). Athenae a Musis summi aestimatae. Mons Museion e regione Acropolis sedebat (*Pausan.* 1, 25, 7). Maxime autem Musas academia Platonis colebat. Earum aram Pausanias memorat (1, 30, 2). Fuere quoque Musarum domicilia Sicyone, Olympiae, Megalopoli (*Plut. symp.* 9, 14, 7). Ante Musarum in urbe Sparta templum Lacedaemonii, cum expeditionem parabant, non tubis, sed avenis, liris citharisque canebat (PAUSAN. 3, 17, 5). Nam Sparta vatium clarissimorum: Terpandri, Thaletae, Alcmanni, Tyrtaei patria erat. Denique Tarenti, Metaponti, Crotonis Italiae Graecae Musaram fana Polybius memorat (8, 27 ss.). Inque clarissimo Museo Alexandrino custodes bibliothecae prandere consueverant. Romae communem Herculi et Musis aram fuisse Plutarchus refert (*Quaest. Rom.* 59).

MUSARUM TEMPLA ET CULTUS PERIERUNT. — Quomodo Musarum templa ineunte aetate Christiana interierint, parum constat. Musarum Heliconiarum statuas Constantinus Magnus in Curia Bycandia collocavit (*Eus. vit. Const.* 3, 54) Harum mentionem Themistiis orationibus in senatu habitis facit (*orat.* 19, 228). Sed curiam ipsam una cum Musarum statuibus anno CCCIV p. Chr. n. incendio perisse Zosimus refert (5, 24). Ortum jam fuerat verae fidei lumen, quod nec Musarum templis nec cultu amplius indiget.

N. MANGEOT, S. J.

CARMINA LATINA

ex Unione Sovietica

Postquam nonnullis commentatiunculis hoc loco editis poetas latinos qui nunc sunt e Germania, Hollandia, Civitatibus Americae Confoederatis in medium protulimus, nunc, quo demonstretur quam diversos ad populos litterarum latinarum cultus etiamnum pertineat, carmina quaedam a civibus Russicis composita proponere juvat.

Saeculo XIX in Russia complures poetae latini, quorum principes habentur Theodorus Korsch et Gregorius Senger, florere. Eo tamen minus noti sunt, quia poemata pleraque per commentarios variasque ephemerides dispersa latent. Unus tantum Theodorus Korsch carminum suorum delectum anno 1886 Hauniae edendum curavit, titulo indito ЦТЕΦΑΝΟС.

Nostris vero diebus praesertim Jacobus M. Borovscii, litterarum latinarum doctor in Studiorum Universitate Leninopolitana, carminibus variis metris exaratis inclaruit. Quorum quaedam auctoris humanissimi consensu hic repetere licuit.

Auctor scribendi initium fecit a die natali Horatii bis millesimo, quem hisce versibus celebravit ⁽¹⁾:

IN DIEM NATALEM HORATI

Perstrepit laetis Helicon choreis,
Tibiae certat lyra non silenti,
Concinit clara melos ad sorores
Voce Thalia

Illius sacris properans honorem,
Lesbios qui primus adire fontes
Ausus est adfertque novo decore
Carmina nobis,

(1) Hunc diem Horatii natalem complures ubicumque terrarum poetae carminibus illustrarunt. Ut alios omitteremus, memoremus tantum Aurelium Espinosa Polit, S. J., Aequatorianum, qui anno 1936 Quiriti *HORATIANA* edidit seu *Coronam poematum, quam in honorem principis lyrae latinae H. Horati Flacci in ipsius anno natali bis millesimo contexuerunt socii e vice-provincia Aequatoriana Societatis Jesu*; Henricum Martija, C. M. F., Hispanum, *cujus carmen ad Horatium* volumini Horatiano PAL. LAT. (1935) praemissum est; Stephanum Bezdechii Dacoromanum († Napocae, 1959), *cujus carmen alcaicum ad bis millesimos Horati natales* prodit in commentariis *Societatis Latinae Monacensis* 4 (1936), pp. 56.

Ipse, cui lauroque hederaque cingit
 Tempora et frontem Patareus virenti,
 Quique natales decies peregit
 Rite ducenos,

Semper et florens valida juventa
 Spernit immanis metuenda regis
 Sceptrum, dum caeli superat profunda
 Laude perenni.

Quin age et nostros Borealis aerae
 Flamine ambustos patiare flores
 In tuam necti nitidam coronam,
 Suavis Horati.

Nuper etiam Ovidii festum natalitium distichi cecinit ⁽²⁾:

Naso magister erat teneri fecundus Amoris,
 Idem sed potior Naso magister erat:
 Nam quaecumque suis mutarunt numina formis
 Monstraruntque altas ire per astra vias
 Edocuit remanere tamen candore perenni
 Esseque sub facti pristina membra nova.
 Cuncta fluunt, at certa viget constantia rerum
 Aucta quibus magico carmine vita semel,
 Atque etiam meliore nitent perfusa decore
 Quae tetigit facili callida Musa manu.
 Sic flentem Nioben semper mirabitur orbis
 Quique dolor fuerat nunc erit almus honor,
 Magnanimus Phaëthon sic non jam vilia terret
 Pectora, sed mentes sursum animosque vocat.
 Quin ipsa exemplo est nobis, divinae poëta,
 Sors tua flebiliter quam canis usque dolens.
 Reddere non potuit tibi blanda querela penates,
 Non umquam iratos conciliare deos;
 At tu redditus es caelo nomenque cluebit

(2) Hoc festum etiam a poëtis Dacoromanis celebratum esse accepimus: etenim liber, qui inscribitur «*Publius Ovidius Naso: XLIII t. e. n. - MCMLVII e. n.*» (Bucuresti, in aedibus Academiae reipublicae popularis Dacoromanae, 1957) haec carmina continet:

—STEPHANUS BEZDECHI, *Ad bis millesimos P. Ovidii Nasonis natales XIII Kalendas Aprilis anni MCMLVII carmen elegiacum.*

—TRAJANUS LAZARESCU, *Ad Ovidium carmen sapphicum.*

Juxta Maeonidem sospite laude recens.
 Felix cui vitae large fortuna rependit
 Damma, deditque iterum vivere post obitum.
 Rite igitur tibi natales bis mille peractos
 Grato prosequitur pectore posteritas.
 Vive vale aeternum, crescat tibi gloria pollens
 Neu desint umquam, qui tua verba legant.

Deinde poemation addamus Catullianum in libro suo, c. t. «Latinskii Jazyk» (Lingua latina), inscriptum, quo virum doctissimum Joannem Joannis f. Lezdiniū Rigensem remuneratus est pro oblato sibi libro ejus lethonice scripto, cujus titulus est «Vox Latina».

Liberalis es ac nimis benignus,
 Lezdini optime, quod tuum venustum
 Misisti mihi muneri libellum.
 Qui quod non modo protulit Latinam
 Vocem, sed pariter sonat duabus,
 Multo carior est eritque nobis,
 Pignusque ipse animus pati nequivit
 Nostrarum tibi desse gratiarum,

Rigae quoque in urbe metropolitana reipublicae Lethonicae poeta latinus haud spernendus vivit: Roman Vladislaus Ciesiulewicz seu latine Romanus Dunavensis. Cujus scriptoris opuscula, Horatianis metris plerumque adstricta, certis temporibus eduntur in ephemeride Varsaviensi, cui nomen «MEANDER»; itaque jam prodierunt:

— *Varsoviae*: ode alcaica - Meander 13 (1958), pp. 357-58.

— *Mensi Octobri*: carmen alcaicum - ibid. 14 (1959), pp. 498-99.

— *Ad Sonos Chopin*: stropha asclepiadea tertia - ibid. 15 (1960), pp. 119-20.

Tertii tandem poetae, Josephi nempī Moysis f. Tronscii, carmen novimus anno 1927 Odessae scriptum in portu litoris Ucrainici celeberrimo:

AD JACOBUM BOROVSII

Forte ne credas tenui loco me
 Degere hos menses, Iacobe dulcis,
 Aut minus dignum numeris Latinis
 Litus Odessae:

Faucibus leti prope jam imminentis,
 Barbari captiva ministra ritus,

Nuper erepta hic requievit olim
Iphigenia.

Pubis Argivae decus atque princeps
Ausus immensum superare navi
Aequor et fratrem Jovis inquieto
Pellere remo,

Dum fugit Colchos tacitis puellae
Artibus victos nimium dolosae,
Hic pedem tutus posuit serena
Otia captans.

Hoc loco tandem recreatus exul
Puschkin intentus teneris loquellis
Blandientis suave magae sigillum
Nobile cepit,

Quod gravis solvit minuitque curas,
Cum puer saevus Veneris marinae
Igne bacchatur tenebrosa menti
Nubila pandens.

Deditus sanctae locus hic quieti
Otium mandat; vetus adde Chium et
Debitas grates age civitati
Consiliorum.

Quibus perlectis carminibus elegantissimis, ex animo optamus ut latini sermonis studia, anno 1949 etiam in scholas Unionis Sovieticae medias restituta, magis magisque illic efflorescant.

Scripsimus Antverpiae 20-IV-1960.

J. IJSEWIJN-JACOBS

Ploegstraat 10 - Antwerpen (Belgium).

HIPPOLYTUS GALANTE

DE VITA SUA, I

(*Romae, Sodalitium Hieronymianum, 1959*)

Hippolytus Galante, qui inter poëtas Latinos qui nunc sunt quam maxime excellit, post mundivagum vitae curriculum per Sueciam, Chiliam, Peruviam, Hispaniam, Indiam in patria tandem redux, Romae Camenas temptare pergit. Ubi cumque terrarum versatus est, carmina Latina condidit aliosque libros Latine exaratos edidit. Quorum indicem, ut latius innotescant, hic subicere placuit.

1) Carmina — *Andina*, quae sunt carmina XXII variis metris adstricta (Santiaci Chilensium, 1928).

— *Pacifica* (Limae Peruvianorum, 1937).

— *Hymnus in Romam*, ex Hispanico Augustini comitis de Foxa: carmen heroicum (Matriti, 1945).

— *In nuptias Remi Paolini et Mariae Berthae Berio epithalamium*, de Ramae et Sitae nuptiis ex Ramayana (Delis Indorum, 1954). In hoc opusculo iusto jure auctor, quasi novus apud Indos Horatius, cecinit:

Hippolytus vobis gratanti mente canebat,
Primus Romulidum redivivos ausus ad Indos
Hesperia Latias tellure inferre Camenas... (p. 16).

— *Doctrinale musicum, liber I canonicus* (Delis Indorum, 1955) Auctor carmine heroico quae ipse de arte musica sentiat eleganter exponit. Nitidissimus libellus intellectu tamen satis difficilis Graecanicisque vocabulis redundat.

— *Saniucta*: carmen epicum de funesto Priti et Saniuctae, principum Indicorum, amore (Romae, 1957). Opus perenni memoria dignum. Constat tribus libris, versiculis fere MMD.

— *Epigrammata*, cfr. «Latinitas», 6 (1958), p. 228 et p. 307.

— Minime tandem silentio praetereundum esse putamus titulum metricum, qui in Basi statuariae ipsius Gandhi insculptus est una cum versione Sanscritica et Hindica. Lapis die 27, m. Augusto, a. 1956 in foro maximo urbis Delensis apud Indos summa caerimonia adstantibusque ab omni gente oratoribus publicis inauguratus est. Titulus autem hic est:

Impositam moli quam cernis Gandhis imago est
Hoc Indus patriae donat honore patrem.
Haud opus indignum meritis, sed quod tamen olim
Absument longâ tempora lapsa morâ:

Ast animis hominum, magni quam suspiciendam
 Effigiem sculpsit pectoris ille sui,
 Hanc vel non umquam vel tunc abolebis, in ipsos
 cum, fera Mors, animos jus tibi fata dabunt.

2) Opera docta: —*De Huaruchiriensium origine et institutis* (Matriti, 1942).

—*Catechismus Quichuensis* (Matriti, 1944).

—*Poësis Quichuensis scenicae monumenta* (Matriti, 1946).

—*Institutiones linguae indicæ recentioris* (Delis, 1956).

Nunc vero revertamur ad ultimum, quod prodiit opusculum, c. t. *De vita sua*. Est carmen strophis asclepiadeis mixtis tetrastichis compositum. Auctor merito indignatus in effrontes ephemeridum, pellicularum, televisionis mulierculas et in rudes pilicreos birotulariosque invehitur, quorum injusta fama studiosorum poetarumque laudes exiguas obscurat.

v. 65 His tot flagitiis, his ego tot probris
 Ardens, bile nigra turbidus aestuo,
 Indigneque ferens, vix mihi tempero
 Quin te, pessima, criminer
 Te, Fortuna, manu quod male pradiga
 70 Istis propudiis non modo regioe
 Vitae suppedites commoda, sed quoque
 Celsae munera gloriae...

Auctori tamen magno solacio est, quod apud exteras gentes praeclarum sibi nomen peperit. Carminibus quoque latinis, etsi a plerisque ignorantur, jure gloriatur. Fortuna tandem vati suae immortalitatem pollicetur «Saniuctae nitido carmine nobilem» (v. 157).

Dignum hoc atque nobile carmen dicatum est Reverendissimo Patri Victorio Genovesi S. J., «corculo Musarum», cuius —ut notum est— *Carmina* omnia uno ponderoso volumine comprehensa «Institutum studiis Romanis provehendis» anno 1959 edere curavit (Romae, Desclée et socii; 3000 lib.).

J. IJSEWIJN, *Antverpiensis*

AD AMICUM

(Ut a carminibus extorquendis desistat)

Irrita ne decies fratrem spes fallat amantem
Insuetae fingunt marcida signa manus;
Desine jam joculis me deridere benignis
Ne meus ignescat tristis, amice, furor;
Dedecet indoctum manibus tractare profanis
Caelesti placito fila negata lyrae.
Scis bene quid dicam. Rerum sapientia magnis
Ex nihilo signis te monet esse nihil.
Aspera quis mites inter dumeta racemos
Colligit ut condat plurima musta cadis?
Floribus inductos apium conamine summo
Quae profert dulces arida terra favos?
Quis violas carpit pictas aut rore corollas
Horrida ubi duro sidere saevit hiems?
Educat ulla siti calefactis poma relictus
Sentis qui totus vepribus horret ager.
Quae venient laetae fruges pecorique virisque
Semina ubi sicco condita nulla solo?
Sed neque per latum consurgent pabula campum
Quo lento solum vimine frondet humus;
Multifidoque nemus populatum dente locustae
Non tibi dat pleno lance redire domum.
Non nisi ferales uxor dabit ore querelas
Noctes atque dies conjugis orba sui.
Nec rapido resonat correptis fulmine silvis
Aëra demulcens alitis omne genus.
Nullis lassatus pubescit floribus hortus
Multae qui nunquam fonte redundat aquae.
Ipsas non referunt quassatae motibus aedes
Quas facili Numen percipit aure preces
Nullaque saxosi celatur molibus Andis
Emeritis nunquam bacca liganda comis;
Dicitur intexi caenosae nulla paludis
Ponderis exigui lucida gemma vadis.
Quis tamen ardentem desertis actus in arvis
Quaerit siccato fonte placare sitim?
Sufficit exemplis certum vulgare notatis:
Nulla venit vacuo cortice lecta seges.

His modo perdoctum vitae jam casibus hujus
 Effugit haec timidum prona pericla caput
 Nunc grave continuis votis committitur ausum:
 Sarcina non umeris subjicienda meis.
 Carmina saepe rogas: usta petis arbore frondes
 Et male fecundis roscida mella locis.
 Id facit ingenuus (cordis tua pignora) candor,
 Purus in alterius facta pusilla favor.
 Ne facias posthac; rerum studiosa mearum
 Ipsa tibi bonitas triste piamen erit.
 Candidus ipse, malum!, non justas denique paenas
 Vatis et expertis numine lector habet.
 Forsitan et sacris indulgens artibus, optat
 Volvere legitimis carmina clausa modis,
 Post, ubi mendosam tentat percurrere musam
 Decidit e manibus charta voluta suis.
 Advena qui in patriae longis erroribus oras
 Tendit amore suae; sole perustus adit
 Arboris et patulae frigus peregrinus opacum,
 Aestibus hic fractus, fessus et ille via:
 Exesi vana lusus sub imagine trunci
 Nescis ut magnas tollat uterque minas?
 Talibus usque meo lymphatus vertice sanguis
 Fervet et imbellis vena calore fluit;
 Tabidus immenso conatu frangitur artus
 Concutit et nimius pectora nostra labor.
 Carmina multa facit divino percitus oestro
 Et bonus eloquii flumina multa bibens.
 Comiter a magnis carmen perquire poëtis
 Qui rutilo semper lumine solis ovant.
 Apti serens haris interdum verba serendis
 Labor et argutum pecco remissus idem.
 Garrula jam mutuo signetur littera voto:
 Carmina nulla petas, carmina nulla dabo.
 Addere si placeat promissis pondera veris
 Et dextris foedus perstabilire datis:
 Juro tibi, frater, nunquam contundere plectrum,
 Sic placidae musae munera pacis erunt!

RAIMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.

Bonis Auris, in Argentina.

VIA CRUCIS

- I. — Morte crucis pro me damnaris criminis expers:
libera ab aeterna me cruce morte tua.
- II. — Supplicii ligno humeros oneraris iniquo:
pro culpis tecum da mihi ferre crucem.
- III. — Quam miser, o Jesu, crucis altae pondere labas:
in vitae mobili me rege quaque via.
- IV. — Quot lacrimis, Mater tua, quo venit obvia luctu:
his lacrimisque tuis fac lacrimare queam.
- V. — Ligna crucis Libycus malam per vim tulit ille:
onera quaeque mea fac ego sponte feram.
- VI. — O mulier vera referens sub imagine Christum:
Hunc semper valeam pectore ferre meo.
- VII. — Sub cruce, Christe, ruis rursus, magnaue ruina:
virtutem debilem sustine, quaeso, meam.
- VIII. — Solaris Solymae flentes misereque gementes:
fac longo planctu pectora conficiam.
- IX. — Ad terram gemitu recidis saevoque dolore:
cor miserum saevo tange dolore meum.
- X. — En adimunt tunicam, labemque probrumque subire
cogeris, o Jesu, qui mea probra luas.
- XI. — Figeris ah! clavis manibus pedibusque cruentis:
fige pedesque mihi lege manusque tua.
- XII. — In cruce commoreris, vitae Fons, Hostia Patri:
arboris emendans arbore damna crucis.
- XIII. — Excipis exanimem genibus quem gentibus olim
monstrasti, Mater tam cruciata modo.
- XIV. — Conderis in latebris obscuri, Christe, sepulcri:
fac tecum latitem pangar ut axe simul.

J. MATTEOCCI, C. M. F.

Romae.

La preghiera di una fanciulla

IDILLIO

○ Madre Santa, le orecchie inchina
A la preghiera d'una bambina.
Come ti prega su in cielo il coro
De li angioletti da l'ali d'oro,
Così da 'l tempio del petto mio,
○ Santa Madre, ti prego anch'io.
Ed anch'io, Madre, sono un mortale
Bello angioletto ma senza l'ale.
Se avessi l'ale, con un sorriso
Vorrei volare su in Paradiso.
Là su con altri cari angioletti
Ti farei preghi ma più perfetti.
E dove l'aura ride più bella
Vorrei cercare di mia sorella.
Quindi con tanti baci di lei
A la mia mamma tornar vorrei.
Povera mamma, s'ella più a canto
Non mi vedesse, piangeria tanto.
Volar non posso: sono un mortale
Bello angioletto, ma senza l'ale.
Dunque da questo carcer terreno
Che l'innocenza mi fa sereno,
A te che figlia fosti, o Maria,
Io raccomando la madre mia
E il padre e seco queste dilette
Che a me sorelle Dio concedette.
○ Madre Santa, le orecchie inchina
A la preghiera d'una bambina.

GIOSUE CARDUCCI

Orat puella⁽¹⁾

Mater sancta, praebe aures
puellae oranti.
Ut in caelo te chorus orat
angelorum aureas alas habentium,
sic e templo cordis mei,
sancta Mater, ego quoque te oro.
Ego quoque, Mater, pulcher angelus sum,
sed mortalis, nec alas habeo.
Si alas enim haberem,
ad Paradisum ridens volarem.
Illic cum aliis caris angelis
te perfectius orarem,
et pulchrior ubi ridet aura,
sororem quaererem meam.
Dein cum tot ejus basiis
ad meam redirem matrem.
O miseram matrem! si me apud se
jam non videret, diu multumque fleret.
Volare non possum: pulcher enim angelus sum,
sed mortalis, nec alas habeo.
Ab hoc igitur carcere,
mea innocentia sereno,
tibi olim filiae, Maria,
matrem meam commendo
et patrem quasque dilectas
mihi Deus dedit sorores.
Mater sancta, praebe aures
puellae oranti.

RICHARDUS AVALLONE

Salerni.

(1) Hac translatione, metro soluta, in latinum sermonem convertimus Carducci carmen, quod *La preghiera di una fanciulla* inscribitur (vide *Primi Versi* V 40, in CARDUCCI, *Opere*, I, ed. naz., Zanichelli, Bologna, 1942, pp. 257-258).

ITERUM DE "TABACO"

Haud semel quidem legentibus non tantum tribuimus facultatem aperiendi quid de PALAESTRA LATINA deque nostris rebus sentirent, sed data occasione id ut facerent —de iis praesertim quae ad nova procudenda vocabula spectant— vehementer quoque rogavimus.

Josephus Holzer, qui Gymnasium Saraludovicense in Germania moderatur et apprime linguam latinam callet, novis fingendis vocibus latinis saepe operam dedit, in iisque condendis egregius vere exstat et est omni laude cumulandus; ipseque de hac re in his Commentariis saepe disputavit et de interna latinae linguae virtute ad novas res latinis vocibus significantas probata protulit argumenta. Cum vero sit rerum litterarumque cultu magnopere ornatus et germanicam linguam, utpote patriam, perbelle sciat —quae in verborum copulatione et conjunctione quasi ludere videtur—, recentiora fingens novansque verba maxime quoque delectatur. Idque multis rerum verborumque indicibus seu vocabulariis comprobatur quae in *Alma Roma*, in *Societate Latina*, in PALAESTRA LATINA ceterisque commentariis evulgavit.

Jam vero cum alterum «Conventum pro lingua latina vivida restituenda» Lugdunum convenissem ibique magno animi gaudio amicum repperissem, id mihi significavit se tempus exspectare opportunum quo iterum cum sociis de «tabaco» ageret. Promissis nunc stat remque plane efficit, ut insequentem leges disputatione.

Tamen id intellegas velim nos litteris ultro citroque datis de hac quaestione interdum disputasse ut in unam conveniremus sententiam. Ex his igitur quae inter nos egimus non nulla sunt notis supposita ejus lucubrationi; cumque amicus pauca novasset verba et vocabulorum indiculum exarasset, ne deinceps in novis verbis adhibendis confusio oriretur, totam rem de tabaco luculentius explicare volui, idque sumpsi onus —grave quidem mihi, legentibus vero, ut opinor, haud ingratum sane— parvum lexicon litterarum hispanicarum ordine redigendi habitis ante oculos novis vocibus quas ipse Holzer proposuit.

In hac quaestione iterum tractanda vel in parvo lexico conficiendo id demum mihi propositum est:

I fugere vocum novitates —quod id fieri posset— et res suis exprimere nominibus, omnibus facile percipiendis;

II illa vitare vocabula in quibus adhibendis dubii causa esset aut inter doctos viros disputatio intercederet;

III res non multis vocibus latine reddere, sed paucis; nam postquam res earumque significationes multum mente agitavi, aptiora in singulas res verba selegi. Quae vero ab scriptoribus prius usurpata essent vocabula, superioribus lucubrationibus in notis apposui (cfr. *PALAESTRA LATINA*, 29, 81-82; 20, 144-148), vel nunc iterum commemoravi, quae tamen possent a nobis latine loquentibus retineri et adhiberi. Multa enim si proponuntur nomina in novis inventis significandis mentem legentium impediunt remque nostram de novanda latinitate taedio molestiaeque afficiunt.

IV Praecipuam difficultatis et dubii causam in eo sitam esse lectores facile animadvertent ut voces *cigarro*, *cigarrillo*, *boquilla*, *pipa* latinis verbis interpretentur; quae voces investigari et perpendi debent non ab aliis vocibus segregatae, sed in toto orationis contextu et in universa quae tractata est hujus rei quaestione.

V Id tandem ante oculos nobis habendum censeo: ne sermo noster latinus in minutissimas se insinuet res nostrae aetatis. Nam si facienda sint vocabula prorsus peculiaris, singularia cujusque disciplinae et artis, haec, cum opus sit, a peritissimis fingantur hominibus; nam, ut ait Cicero, sunt vocabula uniuscujusque disciplinae propria quae multi doctissimi viri ignorant; ignoremus igitur nos multa ne in implicatissimas descendamus disquisitiones unde difficulter egredi possimus. His tamen verbis nullum vituperio in faciendis verbis praestantissimum virum; viam tantum quam insequamur suadeo. Et haec est ratio qua nos in lucubrationibus quas *Nova et Vetera* inscribimus res non ad disciplinarum artiumque gravitatem tractare solemus, sed nostro dicendi modo familiari, quasi sermone cottidiano et narratione, attingimus; verba tantum specialia in adnotationibus accurate perpendimus ut ex his aptissima seligamus.

Omnibus patet via ut in hoc de «tabaco» lexico constituendo tantillum ingenii luminis instillent.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

Summopere gavisus sum, quod unus aliquis tandem ausus est scribere de re, cui indulgeo ut qui maxime; de tabaco dico et de rebus ad id pertinentibus. Primum est ut adnotem nos hac aetate latine loquentes novationum jure cedere non posse neque debere — alioquin actum est de sermonis latini usu —, maxime cum agitur de rebus Cethegis veteribus ignotis. In qua re laudo proboque viri clarissimi J. Ijsewijn sententiam in *Palaestra Latina*, m. octobri, anno 1959 prolatam. Quapropter non hujus videtur esse loci alia argumenta addere. Quibus principiis constitutis meum dumtaxat est ea vocabula ad cribrum agere, quae mea quidem sententia minus apta sunt. Licet tamen rem alius repetere.

Duo sunt tabaci genera, quorum alterum est fumificum alterum, sternutatorium. Fumifici tabaci tres sunt species:

- 1) tabacum in crassa fila concisa,
- 2) tabacum crispum,
- 3) tabacum in subtilia dissectum fila.

Cum tabacum in crassa fila dissectum in fumisugiis ad cineres redigatur, nicotiana in fila subtilia concisa ab eis imprimis adhibetur, qui sibi ipsi hispanicas manibus aut machinula convolvunt. Equidem tabacum in fila tenuia dissectum non adhibere soleo ad fumisugia, sed solummodo segmina crassa et crispa, prout forma est fumisugii. Longis enim fumisugiis magis convenit crassum concisionis genus, crispum magis curvis accommodatum est. In qua re obiter moneo me «fumisugii» nomen non novasse, sed id jam esse ultra centum annos natum. Inveni primum in Kraftii Lexico e germanico-latino, Lipsiae a. 1824 edito. Apud Schellerum *fistula fumaria* suppetit.

«Sternutatorium» tabacum in peculiaribus officinis paratur et postquam pulveratum est, in cistulis nitidis aut cucullis¹ inclusum in tabernis venit. Hujus speciale genus, quia ex Hispania in Germaniam importatum est, accepit nomen *Spaniol*. Latine est «hispaniola». Fumisugiorum autem formae sunt variae: breves, curvae, longae, tirolenses. Interdum mira habent nomina: «nasi focus, buccorum focus, studiosorum fistulae», quia olim in sollemnibus computationibus apud Universitatum alumnos in more erant.

Jam venio ad id quod est mihi propositum. Quaedam enim rei tabacariae nomina, quae Mirius noster induci volebat, mihi non prorsus placent. Sic «fasciculus tabaci» modo est *Zigarre* modo *Zigarette*. At puto tria quattuorve nicotianae folia ad id quod *Zigarre* dicitur, fabricandum necessaria «fasciculum» appellari non posse, multo minus unum vix tabaci folium in subtilia fila dissectum, quod primis digitis capimus ut «hispanicam» convolvamus. Neque quisquam offerat fasciculum florum! Est enim veluti manipulus. Sic etiam fasciculo tabaci, si quid video, potius de quodam manipulo foliorum tabaci cogitare cogor quam de oblongo illo tabaci voluine, quod inter digitos indicem et medium tenentes occulta quadam delectatione ori admovemus succensum, ut odoratum fumum sugamus «Fasciculi autem tabacini pulveris» mea sententia nihil aliud sunt quam compacturae tabaci sternutatorii, quas amico pro dono natalicio per cursum publicum, per tabellarios mittimus. In «hispanicis» nihil est *pulveris tabacini*, sed solummodo *fila tabacina*. «Bacillum porro tabaci», quod Mariano proposuerat, quodque suo jure jam Bini in libro *L'uso vivo della lingua latina*, Florentiae, a. 1940, reprehendit, quis intelleget? Nam cui non in mentem veniunt illa morborum germina bacillorum

1. «Cistula, cucullus, compactura» a me adhibentur ad varia genera tabacum sectum componendi et condendi significanda.

«cistula»: *Schaechtelchen, scatula, cajetilla, box*;

«cucullus» chartaceus: *Tuete, cucurucho*;

«compactura» parva: *Paeckchen, pachetto, paquetito* - idem fere, quod *cajetilla*.

speciem prae se ferentia? At non solum homines infestantur morbis, sed etiam plantae. Non homines tantum invadit e. gr. *cancer*, flagellum hujus aetatis sed, etiam herbas, etiam ipsum tabacum, de quo scribimus. Et quid est germen hujus cancri herbae nicotianae?: *Bacillus aeruginis*. Hoc nomine germen illud a peritis insignitur.

Quae res cum ita se habeat, aliud vocabulum e penu linguae latinae rependum est aut ea in usum convertenda sunt nomina, quae alias sunt proposita, aut nova sunt procudenda. Sed videbimus.

At ne in censoris iniqui notam incurram neve haec, quae disputavimus, ex meo potius sensu deprompta quam ex veritate expressa videantur, nonnulla in medium proferam de tabacinarum foliorum messe atque apparatu, quae rem, de qua agitur, paene sub oculos subiciant.

Fit messis foliorum ad «volumina» adhibendorum, simulatque nicotianae folia flavas maculas accipiunt et glutinosa redduntur, folia autem fumisugio in cineres vertenda decerpuntur, cum foliorum margines replicari incipiunt et aureum colorem induunt. Sudo caelo messis peragitur et primum demuntur folia infera, deinde folia quae arenaria vocantur. Duabus tribusque hebdomadis circumactis optima folia decerpuntur. Posteaquam duae iterum aut tres hebdomades abierunt, folia supera, quae etiam folia adipata appellantur, demetuntur. Demessa folia pro magnitudine et maturitatis gradu in ipso agro in classes digeruntur, deinde, ut flaccescant, in fasciculos laxos collecta seponuntur per complures horas. Tum folia per costam mediam ope funiculorum cannabinorum aut baculorum juncta in horreis siccandi causa ordine suspenduntur. Post sex octove hebdomades tabacum quidem fuscatum est, sed ita flexibile, ut plicatum sine fractura in pristinam formam replicetur. Jam folia ex horreo dempta et in fasciculos collecta inque metas coacervata fermentationi subiciuntur. Folia in metas coacervata colorem post octo dies nanciscuntur quinquaginta ad sexaginta graduum. Tabacum vero ne amburatur, aequis intervallis est invertendum. Quae inversio eo spectat, ut calor LX gradus non superet. Fermentatione autem efficitur ut veneni nicotiani vis interdum X centesimis minuat. Tum folia in peculiaribus horreis conduntur ut altera fermentatio accedat, quae secundaria vocatur. Folia vero persiccata et fermento subacta in fabricis ulteriorem curam subeunt, ut odor et sapor vertantur in melius. Ad quam rem assequendam variae diversaeque tabaci species inter se commiscentur. Sic tabacina folia sumatrensia veneno nicotiano nimio infecta nunquam adhibentur solo, neque perimbellum tabacum dominicianum, sed aequae permiscentur. Folia vero mucida et immatura seponuntur et reiciuntur. Quae folia reicula sunt veluti rudis materia, ex qua tabacum pulveratum ad sternutandum paratur. Folia autem, quae fumisugiiis apta videntur, pro colore et magnitudine selecta aut umectantur aut aqua vaporata tractantur, quo facilliora sunt sectu. Tabacum praeterea fumisugiiis ad cineres redigendum crebrius quam id quod ad tabacea volumina contorquenda inservit, liquore mordaci, qui embamma vocari potest, probe maceratur, curcuma² et sulphure

2. «Curcuma» est planta in India et in Sinitis aliisque in terris crescens. Pertinet ad genus zingiberacearum herbarum, uti viri loquuntur vel herbariae periti. Ex ea conficitur

inficitur, ut colorem aequaliter flavum imbibat. Embamma illud ex variis confectum est elementis, quae ex sacchareis substantiis expressa sunt. Quibus substantiis adduntur «cumarinum»³, lavendula, dianthus, cinnamomum, «fabae toncanae»⁴. In id igitur embamma folia tabacina aut simpliciter intinguntur aut peculiaribus machinis nicotianae lixivio imbuendae subiguntur atque comprimuntur. Postquam embammate macerata sunt probe, folia in machinis sectoriis aut in fila crassa aut in fila subtilia conciduntur (tabacum sectivum). Vis aquae vero quae adhuc tabaco secto inest, frigendo vel torrendo ad XXX centesimas extenuatur. Postremo tabacum refrigeratur et pulvere purgatur. Herba vero nicotiana ita jam consummata est ut in fasciculos aut cucullos colligari possit. Aliud genus tabaci fumifici est tabacum tortile aut convolutum, vernacule *Rolltabak*, *tabaco arrollado*, *tabac en rôles*, *tabacco in rotoletti*. Paratur in hunc modum. Folia, alia juxta alia ponuntur, apto circumdantur folio tectorio, suspenduntur unco machinae, quae rhombo restionis machinae filis deducendis est persimilis, atque ad nentium aut netricum imitationem folliculus⁵, qui dicitur, in volumen ad modum funis contorquetur et ad praestitutam longitudinem perducitur. Tabaci autem volumina in modum funiculi contorti in fascies comprimuntur et colligata in mercaturum veniunt.

Hoc loco quaestio oritur, quemadmodum «volumina tabacea» parentur. Primum notandum est «volumina» manibus potius fingi quam machinis. Constant ex tribus partibus: «intestinis, integumento, toga». Tabacum autem ad «volumina» faciendam primo umectatur, quo folia facilius flectantur. Deinde folia costis libera discerpuntur vel dissectantur. Folia, quae togae locum expletura sunt, pro magnitudine seliguntur summa cum diligentia. E foliis discerptis cylindrus seu «rotulus», ut ita dicam, componitur ad formam, quam tabaci «hastula» habebit. Qui cylindrus constituit veluti voluminis tabacini «intestina». Ut vero congruentem stabilitatem et rotunditatem induant, integumento circumdantur. Cum hastularum — quae manibus

e. gr. curcuae pulvis, qui Anglis est in deliciis atque vulgo «curry» appellatur. Paratur inde etiam materia quaedam infectiva (*Farbstoff*, *colorante*) qua praeter sulphur tabaco gilvus aut flavus inducitur color, quae etiam ipsa «curcuma» dicitur.

3. «Cumarinum» est vox technica, quae uti est etiam in sermone latino tolerari debet. Ad genus quod attinet, praefero genus neutrum. Est anhydrides cumarica substantia aromatica, quae etiam praeter asperulam in fabis toncans continetur. De «fabis toncans» vide proximam adnotationem. Moneo ut «cumaronum» et «cumarunum» et «cumarum» distinguas.

4. «Fabae toncanae» sunt fructus arboris, quae ab herbariis dipteryx odorata dicitur *Tonkabohnen*, *fava di Tonca*, *haba tonca*. Nomen acceperunt a Tonca, insula Polynesiæ ad Insulas Americitiae pertinente. Dipteryx odorata est arbor satis magna, quae etiam in Venetia, in Surinamia, in Guajana et Gallia et Anglia crescit.

5. «Folliculum», germanice *Puppe*, appellavit complexum foliorum tabacinarum peculiari folio ut tegumento involutorum, quae in modum funis contorqueantur, sumpta a papilionis paululum torta imagine, cum papilionis nympha aut chrysalidis folliculo contineatur. Nam secundum Forcellinium *folliculus* translate dicitur de thecis seu siliquis frumenti, leguminum et cujuslibet rei, quae granum aliudve quippiam continet involutum.

factae sunt— cylindri statim integumento amiciantur, hastulae tabacinae machinis paratae in machinis quas «involutorias» nuncupant, compressae in aequabilem rediguntur configurationem. Cylindri autem formella nihil est aliud ac geminae tabellae cnodacibus coagmentandae, quibus modulus insculptus est. Imposito cylindro formella prelo formulario adstringitur. Sic apte confictus cylindrus a rei peritis, qui ab arte, quam exercent, «involutores» nominantur, difficili opere toga induitur. Quem ad finem «involutor» togas, uti ajunt, parce et circumspecte excidit. Togam excisam in fabrili mensa explicat imponitque volumen obliquatum manūsque palmā volumini togam circumdat ab infera extremitate, hastulam tabaci huc illuc volvendo et rotando. Ab altera extremitate «voluminis» apex ope tragacanthi formellā capitatā fingitur. Postremo quidquid a toga prominulum est, resecatur, hastula perfecta persiccatur, in classes digeritur et ilico in cistulis conditur.

Jam interrogare libet, quid ex eis, quae disputavimus, effici possit. Satis demonstrasse mihi videor:

1. Cylindrum seu rotulum quodammodo inchoatum esse «volumen»;
2. «bacillum tabaci» non adhiberi posse ad «volumen» significandum, ne confusio oriatur cum cancri germine, quod *bacillus aeruginis* ad herbariis dicitur;
3. folia tabacina quidem in fila subtilia dissecta ad «hispanicas» parandas usurpari, sed nequaquam folia contusa aut pulvereae aut pulverata, quae solummodo sternutamento inserviant;
4. neque «fasciculos tabaci» esse «volumina» aut «hispanicas»;
5. «tabacum tortile» aut «convolutum» esse *Rolltabak, tabaco arrollado*;
6. «integumentum tandem tabaci» esse nihil aliud ac folium, quo tabaci cylindrus amicitur, ut postremo toga induatur (*tripa*).

At claudite rivos! Jam satis prata...

Ut apte hanc de tabaco commentatiunculam concludam, vocabulorum subiciam indiculum, quo etiam quaedam res latine redditae inveniuntur, quas Mirius amicus omisit.

VOCABULORUM INDICULUS⁶

volumen tabaci, [convolvulus tabaci] - <i>Zigarre, cigar, cigare, cigarro</i>	voluminum, [convolvulorum] theca - <i>Zigarrenetui, cigar case, étui à cigares, petaca de puros, cigarrera</i>
voluminum, [hastularum] fumisugium, fistula - <i>Zigarrenspitze, cigar holder, fume-cigare, boquilla para cigarros</i>	cylindrus, rotulus - <i>Rolle, interieur, roll, rotolo, tirulo</i>

6. [Uncinis]] inclusi quae desunt aut non respondent verbis inferius, in parvo lexico de tabaco a me propositis —MODERATOR—]

- intestina - *Wichel, intérieur, roll, ro-
tolo, tripa*
- integumentum - *Wichelblatt, filler,
feuille d'enveloppe, capillo*
- toga - *Deckblatt, wrapper, robe, capa*
fascia, [ventrale], cingulum - *Bauch-
binde, cigar band, anneau, anillo*
- fascia fiscalis - *Banderole, precinto,
marca fiscale, bande fiscale*
- volumen tabaci minutum, [convolvillus
tabaceus] - *Zigarillo, petit cigare,
cigarro pequeño*
- trunculus fumculus - *Stumpen, bout
coupé, cigarro suizo, entreacto,
cheroot*
- hispanico, [chartea tabaci virgula, con-
volvillus tabaci] - *Zigarette, ciga-
rette, cigarrillo*
- hispanicarum theca - *Zigarettenetui,
pitillera*
- hispanicarum fistula, fumisugium - *Zi-
garettenspitze, cigarette holder,
fume-cigarette, boquilla para ci-
garrillos*
- ligula aurata, [prostomis aurata, stomis
aurata] - *Goldmundstück, gold tip,
bout doré, emboquillado de oro*
- ligula suberea - *Korkmundstück, cork
tip, bout de liège*
- hispanica nicotiano vacua veneno -
*nikotinfreie Zigarette, cigarette
dénicotinisée*
- convolvillus fistulatus, [papyrus fumifi-
ca], russicus convolvillus - *Papiros,
russische Zigarette, cigarette russe
(à long bout), cigarrillo ruso*
- convolvillus colo praemunitus, hispani-
ca colo praemunita - *Filterzigaret-
te, cigarette à filtre, cigarrillo con
filtro*
- tabacum tortile, tabacum convolutum -
Rolltabak, tabaco arrollado
- tabacum ad mandendum - *Kautabak,
chewing tobacco, tabac à chiquer,
tabaco de mascar*
- pyxis tabaci - *Tabaksdose, tabaquera,
tabacchiera*
- tabaci sacculus - *Tabaksbeutel, borsa
da tabacco, petaca*
- fumisugium e maris spuma - *Meers-
chaumpfeife, pipe en écume de mer,
meerschaum pipe, pipa de espuma
de mar*
- [voluminum praeseptorium, resectorium]
- *Zigarrenabschneider, cigar cut-
ter, coupe-cigare, cortapuntas*
- mundatorium fumisugii - *Pfeifenreini-
ger, limpiapipas*
- [densatorium] - *Pfeifenstopfer, taco de
pipa*
- [exterminatorium] - *Pfeifensaüberer,
desobturador*
- [punctorium] - *Pfeifenstoher, vacia-
dor*
- radula - *Pfeifenkratzer, rascador*
- fumisugii partes: vasculum aut caput,
tubus, fistula, stomis, ligula, vasculi
operculum, opertorium
- corporis veneno nicotiano infectio -
*Nikotinvergiftung, intoxicación
por nicotina*
- 0'05 g puri veneni nicotiani dosis mor-
tifera!
- 0'05 g pronuntia sic: «quinque centesi-
mae grammatis».

Restat, ut de origine vocis, quae est *convolvulus*, «*Palaestrae Latinae*» lecto-
res doceam. Hac voce primus ad id quod germanice *Zigarre* dicitur, significan-
dum usus est Arcadius Avellanus, Americanus ex Hungaria oriundus, (cf. ad rem

«*Vitam Latinam*», quae Avennionē editur, fasc. Maj. a. 1960, p. 48 ss., ubi vir cl. J. Ijsewijn-Jacobs plura scitu digna de Avellano protulit). Scribit Arc. Avellanus in vita Robinsonis Crusoei, vol. I., p. 192 in adnotatione: «Convolvulus, i, m., hoc nomine nicotianam in fila scissam et folio nicotianae involutam placet appellare, quam in vulgaribus linguis una vel alia forma vocabuli Cubani **cigarro** (quod ut *sigaro* efferunt) vocitant, quod quidem certam speciem nicotianae designat, non autem id quod ex ea factum est».

Hinc a Capellano, auctore libri colloquiorum latinorum, cui titulus *Sprechen Sie Lateinisch?* desumptum et in usum doctorum et commercium quodammodo deductum est. Equidem ipse per deminutionem ad *Zigarillo* id est minutum tabaci volumen, et *Zigarette* brevissime denotanda derivare ausus sum, postquam in «*Alma Roma*» popularis noster carissimus Andreas Avenarius de Roberto Scotio agens luculentum exemplum dedit:

«**convollulus**»: *Zigarillo* (*germ.*), *pequeño cigarro* (*hispan.*); «**comvolvellus**»: *Zigarette*.

Apud veteres quidem «convolvulus» est secundum *Thesaurum Linguae Latinae*: 1) vermiculus, 2) herba, quam Plinius *H. nat.* 17, 264 descripsit. Forcellinius autem verbosius rem explicat. Verba offerre supersedeo, quia nihil novi docent. Quo tamen antiquorum usu nequaquam prohibemur tertium sensum addere vocabulo quod est convolvulus, maxime si perspicuitatis causa genitivum casum «tabaci» aut nomina adjectiva quae sunt «tabacinus» seu «tabaceus» apponimus.

JOS. HOLZER

PARVUM LEXICON DE «TABACO»

in quo voces afferuntur et locutiones praecipuae quae ad tabacum spectant, quaeque usurpatae sunt in lucubrationibus in *Palaestra Latina*, 29 (1959) 81-88 et 144-148 editis.

Ex iis quae in hoc fasciculo disputat Dr. Josephus Holzer et ex universa rei tractatione non nulla immutantur verba aut adduntur nova quae totum complent de tabaco «*vocabularium*».

Brevitatis causa hae ante oculos habeantur:

Notae: P. Lat. = Palaestra Latina; memorantur tantum anni ab initis *Commentariis et paginae*; sic P. Lat. 29, 145 respondet: Palaestra Latina, 29 (1959) 145.

Soc. Lat. = Societas Latina, Monaci edita ab anno 1932-1955.

— *Lineola* interponitur pro voce de qua agitur.

1. **Apagacigarros**: voluminum extinctor P. Lat. 29, 148.

2. **arrollador** (*liador*): involutor.

vocem antiquis ignotam ab «involendo» [involut-um, involut-io, involut-or], deducimus.

3. **atabacado** (*el aliento*): spiritus, halitus tabaco infectus.

4. **bencina**: benzina, benzin[i]-um P. Lat. 29, 87.

5. **boquilla** [*en gral.*]: fistula tabacina, f. nicotiana [cannula, ha-

rundo]; fistula fumarica [SCHELLER-HOLZER] P. Lat. 29, 85, n. 18. — **de ámbar**: fumisugium sucineum P. Lat. 29, 148. — **de cigarrillos**: hispanicarum, convolvulorum fistula, fumisugium [Lexic. KRAFT-HOLZER]. — **de la pipa**: fistula, P. Lat. 29, 87, n. 25.

6. **caja de cigarros**: theca, capsula, capsella voluminum tabacinarum [HOLZER-MIR]; theca voluminibus tabacinis asservandis P. Lat. 29, 145, n. 4.

7. **caja de cerillas**: sulphuratum, cereolorum theca, capsella P. Lat. 29, 83; 28, 411

8. **cajetilla de cigarrillos**: hispanicarum, convolvulorum capsula [capsella].

«capsula» est parva capsula ad res condendas.

Quibusdam forsitan etiam placeat «cucullus», quae vox ex Martiale, (3, 2, 5) involucri chartacei fuisse videtur quo res includebantur et ab institoribus veniebant.

«fascis chartaceus» (?): de quo P. Lat. 29, 147, n. 28.

9. **cajetilla [paquete] de picadura española**: contusi tabaci hispanici capsula P. Lat. 29, 147; compactura (compactio) tabaci [HOLZER].

«compactura» res compactae, colligatae dicuntur; quae vox illam tabaci compactionem significare potest, ex Holzeri sententia, quam nos dicimus *paquete*, *Paekchen*, *pachetto*.

10. **cajitas de madera de sándalo para rapé con incrustaciones de oro**: capsellae lignae e sandalide cum crustis auratis tabaco pulverato condendo P. Lat. 29, 146.

11. **cenicero [garde cendre - portecenere Aschenbecher]**: cinerarium; vas-

culum, excipulum cinerarium; cineris receptaculum P. Lat. 29, 85

— **lleno de colillas a rebosar**: cinerarium ciccis repletum onustumque.

12. **ceniza, quitar la-**: cineres excutere P. Lat. 29, 85.

13. **cerilla [alumette - cerino, zolfanello - Wachsstreichholz]**: sulphuratum, cereolus P. Lat. 29, 84; 28, 411, ubi alia invenies vocabula.

14. **cigarrera [porte-cigares - portasigari - Zigarrenetui]**: voluminum tabacinarum theca, capsella; theca, capsella voluminibus tabacinis asservandis.

15. **cigarrillo [cigarette - sigaretta - Zigarette]**: hispanica; convolvellus tabaceus, c. tabaci P. Lat. 29, 85 ss

«hispanica»: ratio vocis adhibendae: fortasse est quia, cum primum in Hispaniam Americae exploratores tabacum importassent, illam involvendi tabaci rationem Hispani adhibuerunt, aut quia apud ipsos potissimum mos est ut manibus «hispanicas» convolvant.

In tanta vocum copia (P. Lat. 29, 85, n. 18), hanc in primis potiore habeamus. «convolvulus»: quae tamen vox, a multis adhibita scriptoribus (cfr. *Societatem Latinam*, 5, 335; 6, 46) haud paucos forsitan adversarios habeat cum proprie «vermiculum» significet; attamen ex intima vocis notione, a «convolvendo», deducitur et rei bene convenit. Ut hanc inducamus vocem Avenarius, Holzer aliique auctores sunt. Distinctionem quoque excogitavit Holzer in his verbis adhibendis: *cigarro (puro) - Zigarre* = convolvulus; *cigarro pequeño - petit cigarre - Zigarillo* = convolvillus; *cigarrillo - Zigarette* = convolvellus (cfr. p. 161).

«Bacillus, bacillum, fasciculus»: Bini, Holzerio aliisque non probantur; «fis-



1. fumisugium, infundibulum (*pipa — pipe — pipa — Pfeife*)
2. cinerarium (*cenicero — cendrier — portacenere — Aschenbecher*)
3. volumen tabaceum (*puro — cigare — sigaro — Zigarre*)
volumen tabaci minutum (*cigarro pequeño — petit cigare — Zigarrillo*);
fascia fiscalis (*precinta — bande fiscale — marca fiscale — Banderole*)
4. adolescens, per labra fumum reddit (*el joven echa humo por la boca*);
adolescens fumo indulget (*el joven fuma con estilo*)
5. igniarium (*encendedor — briquet — accendisigaro — Feuerzeug*)
6. voluminum tabacinarum theca, capsella (*cigarrera — porte-cigares — portasisgari — Zigarrenetui*)
7. hispanicarum capsula (*cajetilla o paquete de cigarrillos — étui à cigares — portasisgaretta, pachetto — Paeckchen*)
8. fistula tabacina (*boquilla — pipe — bocchino — Zigarettenspitze*)
9. voluminum tabacinarum capsula (*caja de puros*)

tula» quoque pro *cigarrillo* explodenda est P. Lat. 21, 85, n. 18.

— **liar un cigarrillo**: convolvere hispanicam, manibus convolvellum involvere **ofrecer un-**: hispanicam offerre, praebere, invitare ut quis hispanicam sumat P. Lat. 29, 86. **hacer un - a máquina**: machinulā hispanicam convolvere P. Lat. 29, 87. **tener el-encendido**: hispanicam accensam, succensam habere. **llevar un-encendido en la boca**: hispanicam in labris (in ore) succensam gerere. — **ruso**: convolvellus russicus, c. fistulatus [HOLZER]. — **emboquillado**: convolvellus ligula praeditus, ornatus. — **emboquillado con algodón**: hispanica xylo praemunita; convolvellus ligulae gossypino praemunitus. **emboquillado de oro**: [*bout doré, Goldmundstück*]: ligula aurata [HOLZER]. **emboquillado de corcho**: [*bout de liège - Korkmundstück*]: ligula suberea.

«ligulam» dixerunt veteres de parva tibiae lingua quae dentibus comprimebatur et de tubuli extremitate in modum linguae conformata.

«p(r)ostomis, stomis» minus placent.

— **desnicotizado** [*cigarette dénicotinée - nikotinfreie Zigarette*]: hispanica veneni nicotiani expers; convolvellus veneno nicotiano, nicotina vacuus [HOLZER].

venenum nicotianum: MARIANO; nicotianum venenum, nicotianum virus, n. vis: BACCI.

Sed ut vox technica probanda est «nicotina», quae a Nicot, legato gallico apud Lusitaniae regem, vulgo ducitur. Quam vocem «nicotinam» adhibendam proposuerat G. A. Padberg-Drenkpol Soc. Lat. 7, 45; cfr. etiam Alma Roma, 28, 20.

— **con filtro** [*cigarette à filtre - Filterzigarette*]: hispanica colo praemu-

rā, convolvellus colo praeditus. **emboquillar un-**: (*poner un cigarrillo en la boquilla*): hispanica in fistulam immittere P. Lat. 29, 147.

16 **cigarro (puro)** [*cigare - sigarro - Zigarre*]: volumen tabaceum, v. tabaci, (convolvulus tabaceus).

Ratio vocis adhibendae: quia efficitur foliis *volumine* intortis, et «volumina» dicuntur quae (in se) volvuntur, convolvuntur.

Alias, quae afferuntur voces, videsis in P. Lat. 29, 83, n. 8 et n. 18, ubi iam proposueram «volumen tabaceum».

«Fasciculus» Dri. Josepho Holzer non probatur, quia verbi ratio non adest cum nullus ibi sit «fasciculus» P. Lat. 30. p. 136 et 139.

Neque «bacillum» eidem placet cum hac nostra aetate «bacilla» dicantur microbia et morborum germina (!) quae homines, plantas ipsumque tabacum invadunt. Quae tamen ratio non penitus animum flectit; sunt enim verba quae dispaes habent sensus; et ipse Holzer gladium adversariis promere videtur — qui in eum convertatur —, nam «convolvulus», ab eo propositus, significat etiam uvarum vermiculum «qui erodit pubescentes uvas»: novum igitur «bacillum». — Ratio tamen praecipua, qua voces «baculum, bacillum, virga, virgula, hastula», alia hujusmodi parum probanda videantur, est quia haud facile cum ipsa re latine exprimenda convenient: nam illa tabaci folia convoluta quis in hominum linguis «parvum baculum» nominabit? [BINI - HOLZER]. Qua fortasse motus ratione Mariano (*Lex. s. v. sigaro*) vertit: «convolutum tabacum».

— **habano**: habanum, volumen habanum P. Lat. 29, 83. — **suizo** (*entreacto*): trunculus fumificus [HOLZER]. **tirar el- a medio fumar**: volumen tabacinum medium absumptum

projicere P. Lat. 59, 88. **anillo del -:** fascia, cingulum.

17. **colilla** [*mégot - cicca - Zigarrenstummel*]: ciccum. **colillas que humean:** cicca fumantia P. Lat. 29, 146.

18. **colillero:** cicca colligens P. Lat. 29, 146.

19. **cortapuntas** (*tijera-*): forfex sectorius voluminum; forfex ad secanda voluminum acumina.

20. **cortapuros:** cultellus sectorius voluminum; cultellus ad secanda voluminum acumina.

21. **chisquero** (*mechero sin bencina, en que sólo salta la chispa sobre la mecha*): ellychnium igniferum. **saltó la chispa en el -:** scintilla excitata est P. Lat. 29, 88.

22. **chupada:** haustus. **dar unas buenas chupadas:** callide haustus fumi sugere P. Lat. 29, 147.

23. **dedos quemados y coloreados de amarillo:** summi digiti exusti et flavo colore intincti P. Lat. 29, 87.

24. **encendedor** [*briquet - accendisigaro - Feuerzeug*]: igniarium P. Lat. 29, 86, ubi novi sensus rationem invenies. **alargar el- lleno de bencina:** igniarium porrigere benzinae plenum P. Lat. 29, 87. **el-, ¿hace el favor?:** igniarium cedo, domine? **este - no funciona:** igniarium non accenditur, igniarium cessat. **piedra de -:** lapis igniarius.

25. **estanco** [*Tabakladen*]: taberna tabacaria, taberna tabaci P. Lat. 29, 87.

26. **estanquero** [*tabaccaio - Tabakverkäufer*]: tabaci venditor.

27. **estanquera** [*tabaccaia - Tabakverkäuferin*]: tabaci venditrix.

28. **fuego, tiene Vd.-?:** cedo, domine, ignem; suntne tibi sulphurata? estne tibi igniarium?

29. **fumador:** tabaco indulgens. **departamento para fumadores** (*en el tren*): loculamenta tabaco indulgentibus P. Lat. 29, 147. **se vanagloriaba de ser un estupendo -:** magnum se esse fumi haustorem praedicabat P. Lat. 29, 87. **soy un - empedernido:** in fumo hauriendo vel maxime sum obstinatus, deditus P. Lat. 29, 84.

30. **fumar** [*fumer - fumare - rauchen*]: fumum sugere, fumum tabaci haurire, ducere fumum tabaci P. Lat. 29, 84; dare operam fumo tabaci. - **con estilo** eleganter sugere et emittere fumum. **¡con qué estilo fumaba!**: quam eleganter fumo indulgebat P. Lat. 29, 87. - **deliciosamente:** odoratum fumum leniter dulcissimeque sugere [cfr. BACCI, *sigaro*, p. 594]. - **en pipa:** tabaco indulgere fumisugio; uti tabaco fumisugio. - **mucho, con excesiva fruición:** totus in fumo tabaci esse. - **como una chimenea:** ut caminus fumum sugere et emittere P. Lat. 29, 84. **tengo la pasión de -:** nimio tabaci studio incendor, abripior, ducor: tabaco plane captus sum; tabaci nimis sum studiosus; tabaci studio teneor; summa cupiditate in tabacum feror, incendor. **¡terminantemente prohibido -!:** graviter interdicitur ne quis tabaco utatur, indulgeat! **salón de -:** exedra tabaco indulgentibus, utentibus.

31. **humo, aspirar el -:** fumum adspirare: **sacar - por la boca:** per labra fumum reddere P. Lat. 59, 87. **sacar - por la nariz:** fumum per nares

- emittere P. Lat. 29, 87. **simulaba**
- sacar - por los ojos:** per oculos fumum referre simulabat P. Lat. 29, 87.
- echar por las narices un - delicioso:** dare suavissimum fumum naribus [Alm Roma, 28, 19-21] **tragar el -:** fumum absorbere P. Lat. 29, 84.
- ¿le molesta a Vd el -, señora?:** Estne, domina, fumus tibi incommodo?; gravisne sum tibi, domina, hoc tabaci fumo?; hoc fumo nolim te molestia afficere; hoc fumo nolim tibi molestiam ferre, parere. **entre bocanadas de -:** inter fumi nubeculas ex ore prolatas P. Lat. 29, 87. **el aire casi no era respirable (por el -):** aër spirabilis fere non erat (ex fumo) P. Lat. 29, 147.
32. **liador** vide **arrollador**.
33. **limpiapipas [Pfeifenreiniger]:** mundatorium fumisugii.
:«mundatorius» a divo Augustino adhibetur, «mundatorium» a Mario Mercatore (cfr. BLAISE, *Dictionn. latin fr. des auteurs chrét.*, Strasbourg). Si placet adhibe «purgatorium» (cfr. *Ibid.*).
- rascador del - -:** radula [HOLZER], et 'est id quo aliquid ex alio raditur'. **apretador del -:** prelum; est enim instrumentum vel quid simile quo res comprimuntur. **vaciador del -:** expulsor: 'qui expellit'.
- 34 **maquinilla para hacer o liar los cigarrillos:** machinula convolvendis hispanicis, m. convolvellis conficiendis, involvendis.
35. **marear:** ad nauseam concitare; (stomachi et) capitis fastidio laborare P. Lat. 29, 84. **casi marea:** ad nauseam fere movet P. Lat. 29, 87. **este aroma me marea:** hic odor fastidium mihi affert, movet.
36. **marca:** insigne; nota P. Lat. 29, 147.
37. **mecha:** ellychnium P. Lat. 29, 87; funis, funiculus incendiarius; ignifer funiculus [BACCI].
38. **mechero** vide **encendedor**.
39. **nicotina:** nicotina; venenum nicotianum; nicotiana vis. **intoxicación de -:** [Nikotinvergiftung]: infectio ex nicotina; infectio e veneno nicotiano [HOLZER]: **la dosis de 0'05 gr. de - pura es mortal:** 0'05 gr. (=quinque centesimae grammatis) nicotinae purae dosis mortifera est! (puri veneni nicotiani dosis mortifera est!)
40. **papel de fumar:** charta tabacina P. Lat. 29, 87. **librito de - - -:** chartae tabacinae libellus P. Lat. 29, 87. **sacar el librito de - - -:** chartae tabacinae libellum promere P. Lat. 29, 87.
41. **paquete:** capsula. - **de tabaco picado (picadura):** tabaci contusi capsula; compactura (de qua voce cfr. *cajetilla*).
42. **petaca [tabatière - Tabakbeutel]:** pyxis tabacina, tabacifera P. Lat. 29, 145; theca, cistella, capsella tabaci [cfr. BACCI]. - **de cigarros (cigarrera):** voluminum tabacorum theca, capsella; theca, capsella voluminibus tabacinis asservandis.
43. **picadura:** contusum, concisum tabacum P. Lat. 29, 147.
44. **picado de hebras:** tabacum in fibras concisum, contusum P. Lat. 29, 146.
45. **pipa [pipe - pipa - Pfeife]:** fumisugium; (siphunculus tabacinus), infundibulum.

:«fumisugium» non probatur G. A. Padberg-Drenkpol Soc. Lat. 8, 48, qui mirum verbum e graeco erutum «capnosyrinx» proposuit: absonum sane verbum ne dicam rejiciendum!

«Fumisugium» aptissime est a «fumum sugere» deductum; nam si vocabulum *fumar, fumer, rauchen* latine reddimus «fumum sugere», illo instrumento quo utimur ut «fumum sugamus», recte «fumisugium» nominare possumus; legibus enim novandi voces optime consonat et centum annorum usu justa civitate in lexico latino gaudet (cfr. HOLZER, P. Lat. hoc fasc. p. 156).

Cum autem pro *boquilla de fumador* (cfr. supra p. 161, 5) «fistulam» usurpamus, «fumisugium» rectius voci *pipa* aptabimus, quanquam ex ipsius nominis significatione utriusque voci (*boquilla-pipa*) accommodari potest, ut alias innuimus P. Lat. 29, 86.

«Siphunculus tabacinus»: iis quibus «fumisugium» non probetur, «siphunculum tabacinum» proponimus P. Lat. 29, 86 et alibi.

«Infumibulum, infumabulum, infurnibulum»: sunt voces quae abs latinitate a lexicographis expunguntur, cum pro «infundibulo» perperam scripta habeantur; et ideo ab ERNOUT-MEILLET et WALDE-HOFMANN non commemorantur et ipse Forcellinius cum magna refert dubitatione.

«Infundibulum»: Bacci et alii vocem accipiunt et quanquam non desunt dubitationis causae, in thesaurum latinitatis hoc novo sensu recipi posse censemus (P. Lat. 29, 84).

- **de espuma de mar** [*Meerschampfeife*]: fumisugium e maris spuma [HOLZER]. **borla de la** -: apex P. Lat. 29, 87. **cabeza de la** -: caput, vasculum [HOLZER]. **codo de la** -: (para vaciar la saliva): convexum, fundulus P. Lat. 29, 86. **cordoncillo de la** -: funiculus fumisugii. **tapa de la** -: vasculi opertorium. **desobturador de la** -: everriculum.

—hoc enim ex ipsa nominis notatione 'quasi sordes everruntur'; «everriculum» per translationem Cicero de Verre dixit (*Verr.* 6, 24, 63). Forsitan quibusdam «emunctorium», ab emungendo, placeat; quod adhibetur ab scriptoribus ecclesiasticis.

gran surtido de pipas: fumisugiorum magna copia P. Lat. 29, 146. **pipas de formas muy variadas** fumisugia mirae et exquisitae figurae, P. Lat. 29, 146. **cargar la** -: fumisugium referre tabaco. **llenar la** - **de tabaco de la mejor calidad**: tabaco optimae notae fumisugium referre, implere, replere P. Lat. 29, 87.

46. **pitillera** [*Zigarettenetui*]: hispanicarum, convolvellorum theca, capsella.

47. **pote de tabaco** [*Tabaksdose*]: pyxis, cistellula tabaci.

48. **precinta** (*precinto*) [*bande fiscale - marca fiscale - Banderole*]: fascia fiscalis [HOLZER].

: «fiscalis» a Suetonio et ab aliis scriptoribus adhibetur.

49. **puro** vide **cigarro**.

50. **rapé**: tabacum pulvereum, tabacum pulveratum. **tomar** -: tabaco pulverato uti, tabaco pulvereo uti, pulvereo tabaco nares opplere [BACCI]; t bacum contusum naribus trahere, haur re. **una toma de** -: tabaci pulverei, pulverati mica [cfr. BACCI].

51. **tabaco** [*tabac - tabacco - Tabak*]: tabacum; nicotina herba. - **búfalo**: tabacum bubali P. La. 29, 147. - **diana**: tabacum Dianae P. Lat. 29, 147. - **filipino**: t. philippinum P. Lat. 29, 147. - **holandés**: t. batavum P. Lat. 29, 147. - **inglés**: t. anglicum P. Lat. 29, 146. - **negro**: t. atrum P.

Lat. 29, 146. - **rubio**: t. flavum P. Lat. 29, 244. - **de virginia**: t. verginium P. Lat. 29, 148. - **verdín**: t. praematurum P. Lat. 29, 147. - **nacional**: t. patrium; nostrae gentis tabacum. - **extranjero**: t. exterum. - **arrollado**: tabacum convolutum, t. tortile. - **de mascar**: tabacum ad mandendum. - **de aroma dulce y penetrante**: t. grati gravisque aromatis P. Lat. 29, 147. - **de escasa fuerza**: t. minimae virtutis P. Lat. 29, 147. - **de agradable sabor**: t. grato sapore praeditum P. Lat. 29, 147. - **pasable**: t. non optimae quidem notae P. Lat. 29, 88. - **muy bien elaborado**: t. affabre elaboratum P. Lat. 29, 148. - **delicioso**: t. suavissimum exhalans odorem P. Lat. 29, 148. **tabacos variados**: tabacum varii generis P. Lat. 29, 144. **una chupada de -**: tabaci suctus; fumi haustus; fumi tabacini aspiratio. **tener monopolio de -**: monopolio tabaci frui. **vendedor ambulante de -**: tabaci circitor P. Lat. 29, 144. **se expende en abundancia**: abunde tabacum venit P. Lat. 29, 144. **se exporta a otras naciones**: in alias civitates tabacum exportatur P. Lat. 29, 148. **abusar del -**: tabaco immedice uti. **el - daña**: tabacum incommodum affert; t. incommodo afficit P. Lat. 29, 84. **el - es un sedante para los nervios**: tabacum nervos sedat P. Lat. 29, 84; t. magnam habet virtutem sedandi nervos. **¡hay -**: est vo-

bis tabacum! P. Lat. 29, 144; venale prostat tabacum! **¡hay - rubio!**: emite tabacum flavum! P. Lat. 29, 144. **le encanta el - rubio**: tabaco flavo magnopere delectatur P. Lat. 29, 144. **el - irrita la garganta**: t. fauces irritat P. Lat. 29, 84. **saborear el -**: delectiose tabaco frui. **¡cómo saboreaba el -!** ut libenti animo tabacum degustabat! P. Lat. 29, 84. **probar una clase de -**: tabaci genus experiri P. Lat. 29, 147. **apestar a -**: acriter tabacum redolere. **el - te será muy saludable**: multum erit tibi emolumentum e tabaco. **el salón apesta a -**: tota exedra tabacum redolet P. Lat. 29, 147. **mascar - trezado**: mandere tabacum intextum P. Lat. 29, 148. **cuanto - has de fumar cada día**: quantum tabaci cotidie tibi sit absumentum.

52. **tabacoso**: tabaco foedatus, sordidus [BACCI].

53. **tabaquera**: pyxis, theca tabaci (contusi) P. Lat. 29, 145

54. **tirulo**: cylindrus; rotulus. **tripa del -**: intestina [HOLZER]; «umbilicus» dici etiam potest per translationem. **capillo del -** [feuille d'enveloppe - Wickelblatt]: integumentum; involucrium [HOLZER]. **capa del -** [robe - Deckblatt]: toga. **máquina tirulera**: machina involutoria.

adjectivum «involutorius» ob involvendo [involut-um, involut-io] derivandum est ut rem apte designemus.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

Nuntia varia percipite

IN INSULIS MARIANIS. — Bathyscapham, cui nomen «Trieste» inditum est quaeque in Italia et excogitata et exstructa est, duce clarissimo Professore Helvetico Augusto Piccard doctoque viro Americano Donaldto Valsh, metrorum undecim milia in profundum mare — apud insulam cui nomen «Guam» — descendisse ferunt. Quare altitudo illa immersionis superior eodem bathyscaphō, die septimo mensis Januarii hoc anno vertente, constituta, longe, longissime exsuperata est.

CALIPHORNIAE. — Telescopium omnium maximum, in Montis Columbarii (*Monte Palomar*) specula est situm. Speculum est discus vitreus cuius diametrum septemdecim pedes habet. Nunquam antea tanta vitri moles alicubi ad hunc usum adhibita est.

NOVI EBORACI. — Mense Junio, ex loco qui «Cabo Cañaveral» dicitur, satelles cui nomen «Midas II» — «caeli oculus» seu explorator vocatur — a viris scientificis Americanis ejectus est. Qui, optimis machinationibus electronicis ornatus nuntiandi vel detegendi causa hostilis missilis emissionem — ubi primum missus erit —, orbes circum terram nunc facit maximos (*apogeo*) quingenti chilometrorum et minimos (*perigeo*) quadringenti octoginta.

Ejus praecipuus finis est, uti creditur, defendere seu ab hostibus tueri Civitates Foederatas Americae Septemtrionalis.

NEAPOLI. — Octo circiter abhic menses, in sinu Neapolitano, viris aliquot scientificis adstantibus, urinatores italici Ennius Falco et Caesar Olgiai miram novamque — 131'35 m. — in mare immersionem, scaphandro libero — id est fistula ad spiritum ducendum, oculariis pinnisque natatoriis — assecuti sunt.

VASINGTONII. — Satelles Americanus, «Tiros I» nomine, — centum viginti duorum chilogrammatum ponderis — Kalendis Aprilibus hujus anni emissus narratur ut de caeli natura et statu, de tempestatibus, de aëris crassitudine et tenuitate aliisque similibus, viros scientificos Americanos certiores faciat, duobus televisionis apparatus instructus esse imaginumque lucis ope expressarum quatuor milia, singulis hebdomadis, ad eos mittere fertur.

Satellitibus putant hi viri maxime ad scientiam profecturum.

ROMAE. — Nuper, Olympiorum occasione data, genus cinematographi vere singulare, vulgato nomine «Cine-Bus», quod magnum oblectamentum

omnibus praebuit, inventum est. Vectores namque dum curru automobili generali per Urbem Romam vehuntur, ex eorum sedili, in albo (*pantalla*) vitreo, quo currus est instructus pelliculas, nuntios aliaque similia spectare poterunt. Quae pelliculae cinematographicae —miramini lectores rei novitatem!— non ut antehac in tenebris sed tota solis luce exprimi poterunt.

BARCINONE. — Moderante Barcinonensi Societate studiis subaquaneis provehendis, atque procuratoribus viginti europaeorum et Americanarum nationum adstantibus, diebus 7-13 mensis Martii hujus anni, «Primus Conventus Universus rebus maritimis fovendis» Barcinone congregatus est.

Multa in eo sunt pertractata, eaque omnia magni ducenda quorum hunc brevem accipite indicem:

a) *de submersionis physiologia*; b) *de inspectione «electroencephalographica» et «electrocardiographica»*, id est encephali cordisque vi electrica facta, cui non «homines ranunculi» tantum, sed piscatores subaquanei etiam itaque omnes qui in maris profunda exploranda incumbunt, tenentur; c) *de periculis ceterisque in immersione cavendis*. Congressu peracto et ut clari viri, qui eum adierant, animos relaxarent, «Primum Certamen («Cross») subaquaneum Internationale» agitatum est; cujus victoriam duo juvenes Galli, Condiu et Illy, sunt assecuti. Qui optimo tempore, multisque obstantibus difficultatibus, sub aqua cursum chilometrorum primi fecerunt.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

SOCIIS RESPONSA DANTUR

V. R. G. *Friburgum Br.* — Est tibi gratia quod litteris tuis tantopere res nostras effers viamque dilaudas, quam insequimur, ut jucundam facilemque linguae latinae cognitionem reddamus Bene facis quod Commentarios cognoscendos aliis tradis.

B. F. *Victoriam - Inter Flumina.* — De nova voce quam effinxisti ut in latinum transferres «*radar*», alias data occasione agemus. Contemnenda minime sunt tua argumenta ut novam vocem «*vespertilionicum*» inducas, sed... aquam a remotissimo plane fonte deducere videris. Quis *radarium* cum «*vespertilionibus*» commisceat?

J. D. *Pont-Ste-M.* et A. R. *Saint-Cl.* — Duos discos et quattuor libellos *Cursus Polyglotici CCC* ad vos mittendos curavimus, quibus de hac ediscendae linguae latinae ratione certiores fiat. Nunc alteram *Cursus* partem paramus. Illae vero 1425 pesetae, quibus 12 libelli cum discis in theca «*plastica*» veneunt, 117 Francis Novis respondent.

N. L. *Paulam.* — Et nos de edito commentario vestro *Lingua Latina* magno opere gaudemus, in quo quidem conficiendo studium diligentiamque contulisti maximam. Hisce exercitationibus alumni vestri linguam latinam excolunt, diligenter, adhibebunt libenter et fructus percipient ex usu salutare.

PER ORBEM

Graeca et Latina. — Nomen *Brasiliae*, Urbis Principis nationi brasili-
cae nuper publice inauguratae, quae tribus tantum annis quasi portentum
recentis architecturae exstructa est, modo in ore omnium laudibus celebra-
tur. In hac tamen natione quae adeo in rerum opumque copia et progressu
in dies proficit, res aliae et animi et cultus humani minime praetereuntur.
Cujus rei exstat haud ignobilis index commentarii qui inscribuntur **GRAECA
ET LATINA**, in lucem editi auspiciis «Societatis Nationalis Cultus Graeci et
Latini» et «Primi Conventus (a. 1958) Studiis Classicis in Brasili prove-
hendis».

Fasciculus primus hoc indice ornatur: «Acentuação latina», ubi clmus.
Prof. J. F. Marques Leite rem retractat Niedermann et Vendryes egregiis
ducibus novamque lucem afferre nititur in quaestione «de appellandis voci-
bus latinis quae encliticis aucta sunt et amplificata» et «de indole seu natura
non musica sed intensiva prosodiae latinae».

Fasciculus alter est lucubratio Prof. Junito de Souza Brandão qui sub
indice «Empréstimos Gregos nas Bucolicas de Virgílio» egit de verbis e ser-
mone graeco desumptis quae in Bucolicis vergilianis inveniuntur.

En tertii fasciculi index: *Opinião*, Lucius Latinus; «Actio» e «Sententia»
in *Lúcio Cornélio Sila*, J. Comba, S. D. B.; *O destino de alma* in Homero, K.
Avellar; *Pluralismo latino*, J. F. Marques Leite; *Euripides*, J. de Souza Brandão.

His commentariis, quibus index **GRAECA ET LATINA**, fausta nos omina-
mur simul atque clarísimos viros et Professores nationis brasili-
cae nobis conjunctísimos volumus sodales in tuendis colendisque ubique terrarum lit-
teris graecis et latinis.

Lingua luso-brasília e sua base greco-latina. — En aliud opus quo
clmus. Prof. Marques Leite magnopere honestatur. Prodiit in lucem a. 1958
in memoriam «Primi Conventus Studiis Classicis in Brasili provehendis». In
prooemio auctor perscite de linguarum romanicarum origine et natura agit
ut in eis linguae lusitanae brasili-
cae debitus jure locus tribuatur (p. 9-38).
Prima pars operis: «Léxico básico e atual de origem latino» (p. 41-78). Pars
altera: «Estudo dos termos latinos que formam o seu léxico básico arcaico e
atual» (p. 81-303). Professori igitur J. F. Marques Leite ejusque sociis brasi-
licis indefessis bonarum artium et litterarum cultoribus gratulamur, e quo-
rum humanitate, scientia, studio liberalitate optimos in disciplinis classicis
fructus nos capturos speramus.

M. M., C. M. F.

BIBLIOGRAPHIA

EDUARD SCHWARTZ. — *Gesammelte Schriften.*

Dritter Band: zur Geschichte des Athanasius. Walter de Gruyter et Co Berlin, 1959.

Ingens sane est editio litteraria historica, a clarissimo Professore Eduardo Schwartz adhuc in disciplinarum provincia divulgata. Huic quidem tertio volumini Cunctorum ejus Scriptorum, duo jam in lucem bono omine praecesserunt: I *Vergangene Gegenwaertigkeiten* et II *Zur Geschichte und Literatur der Hellenen und Roemer*. Quae IV volumen brevi consequetur: *Zur Geschichte der alten Kirche*.

Ampla scilicet cognitio historiae primaevae Ecclesiae lectoribus adhibetur versanda animo. Novem erudita, eaque arte critica limata, capita hoc tertium volumen conflant. I. Documenta Orientalia (pp. 1-29). II. Collectio Theodosti Diaconi (pp. 30-72). III. Supplementa actorum in Athanasii manu scriptis (pp. 73-85). IV. Constantini ascensus in imperium p. 86). V. Fontes quaestionis Millitonensis (pp. 87-116). VI. Documenta pugnae Arianae ad 325 annum (pp. 117-168). VII. Scripta synodalia Antiochena ab anno 325 (pp. 169-187). VIII. A Nicaea ad mortem Constantini (pp. 188-264). IX. A Constantini morte ad Sardiniam, 432 (pp. 265-334).

Non nullae praeeunt libro paginae, in praefationis modum, a claro historico Walther Eltester exaratae; consequitur accuratissimus totius voluminis index, ubi uno quasi conspectu rem totam evolvendam perspicies.

A. MARQUÉS, C. M. F.

PAOLI, UGO ENRICO. — *Cane del Popolo. Uomini e cose del mondo antico.* Felice Le Monnier. Firenze.

Qui in scholis veteres Graecos Romanosve cognoverunt, viros rigidos ferme et divinos contemplati esse videantur. Raro veterum vitam — prout illi vixerunt — videre potuerunt.

H. H. PAOLI cotidianam eorum vitam sagax investigat eamque prout fuit, revelat. Homines *chitone* indutos vel toga denudatos, prout domi vitam agebant, exhibet. Uno verbo veterum vitam vitae hodiernae nobisque quam maxime proximam describit.

Rem in felicem eventum adduxit adeo ut narrationes delectent quasi fictae fabulae, cum tamen omnia narrata historicis fontibus semper nitantur. Qui fontes in extrema narratione primitivaeque lingua afferuntur. Opus igitur maxime eruditum et ponderosum si notulas perspexeris. At pondus non lectori imponitur, cum unus auctor sibi imposuerit rem sagaciter quaeritando et lepidissime describendo. Auctor ergo primum factum quoddam investigat prout in fontibus habetur, deinde ex facto omnibus elementis adjunctis ornato, narrationem conficit, quam legens antiquorum vivendi rationem intellegas, maximo oblectamento inde percepto.

Libri index — *Cane del Popolo* — argumentum non prodit, cum titulus sit unus narrationis. At adumbrat tamen: canis sagiens praedamque olfactens sicut Aristogiton ille, Canis populi nuncupatus quia sycophanta metuendus erat.

Libri duobus partibus continetur: *Mondo Greco - Mondo Romano*. In utraque omnia evolvuntur illo dicendi genere suavissimo ac lepidissimo, H. H. PAOLI proprio. Dignus omnino qui legatur.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

PIGHI, GIOVANNI BATTISTA. — *La poesia religiosa romana.* Testi e frammenti per la prima volta raccolti e tradotti. Nicola Zanichelli. Editore. Bologna, 1958.

Jam decem ante annos J. B. PIGHI primus collegerat et ad obrussam exactum ediderat corpus quoddam seu synagogen poëseos religiosae Romanorum. Illud opus, tertia parte auctum, apparatu tamen critico omissa, nunc

ab integro ordinatum et digestum iterum prodit. In eo collecta invenias et accurate —ad verbum fere— reddita carmina sacrorum publicorum sive ex libris Sodalitatum sive ex libris Pontificum. Augurum, Quindecimvirum Fratrum Atlediorum Iguvini selecta, Carmina sacrorum privatorum, Sortes, oracula, vaticinia, Hymnos (precaiones et dedicationes, Hymnos naturales, Pervigillum Veneris), Versus mysteriorum, Carmina tandem Christiana.

Singulis carminibus praeficitur brevis introductio qua quid de ipsis existimandum sit apte illustratur.

Est hoc opus magni faciendum et ex his quae collecta sunt et modo quo parata exhibentur.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

JOSEF EBERLE. — *Lob des Lateins*. Geschrieben als Einleitung zum Vortrag lateinischer Gedichte des Verfassers. Sonderdruck der Stuttgarter Zeitung, 14 pg., 1959.

Egregius scriptor hoc parvo pagellarum fasciculo laudibus, quas jure meretur, linguam latinam ardenti animo prosequitur. Rem scite perpendit et quod contra dicitur auctor refutare nititur. In primis reicit quae ad utilitatem tantum pertinet opinionem, nempe, quid nostra aetate lingua latina inservire possit; ut quis scilicet divitiis abundet facilius via tentanda est quam ut quis latinam linguam plane assequatur. Omnis contra latinae linguae virtus in eo sita est ut mentem hominis rite excolat atque instituat. De his vero quae ad linguam latinam spectant, interdum tantummodo memoria tenentur fastidiosae illae scholae fastidiosusque forte quidam magister... Exordia certe duriora et largiora; fructus autem ex eis exquisitissimi tandem excipiuntur! Expertus, inquit J. Eberle, loquor! Parvi pendere linguam latinam Europam contemnere est, originem quoque, et historiam et cultum et virtutes; vel in ipsis nationibus septemtrionalibus, quarum linguae minime ut romanicæ ex latina exoritur, ad humanum cultum quod attinet, multum invaluit latinitas.

JOSEPHUS RODRIGUEZ, C. M. F.

TACITO. — *Vida de Julio Agrícola*; edición, introducción y notas de Manuel MARÍN PEÑA. Consejo Superior de Investigaciones Científicas: Clásicos «Emerita». Madrid, Instituto «Antonio Nebrija», 1958.

Monographia haec C. Cornelii Taciti, quamvis disputationis ancipitis, in ea rite constituenda inter litteraria genera, lectori tamen offert vitam et praeconium praestantissimi viri in historia una cum insigni civitarum humanarumque partium exemplari.

Imis rei ita penetrabilibus, tanquam tabula, eaque vivens ac dramatica, tyrannidis Flavitorum; in minimis vero enarrandis eventa quaedam historica, qualis romana expugnatio Scotiae atque Hiberniae et prima Britanniae circum navigatio

Vita scilicet Julii Agricolae apud nostrates aliquibus conversionibus nota erat; nulla tamen aderat editio commentariis exornata, iisque hodierna nota insignitis

Opusculum 127 pagellarum. Erudita antequam clarissimi scriptoris praefatio, allata ibidem bibliographia (pp. 7-45). Accuratus consequitur textus: De Vita Julii Agricolae liber (pp. 47-119). Complures, eaque utilissimae, notae ad calcem acri ingenio distinguuntur. Index tandem nominum atque index rerum scitum libellum absolvunt, qui ex sese valde, atque ex ipsa scriptoris praestantia lectoribus commendatur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

ESTILISTICA LATINA, Ejercicios y temas, 79 pg.

ESTILISTICA LATINA, Teoría, 23 pg. Edición privada, Seminario y Universidad Pontificia, Comillas.

Professores interdum queruntur se ad manus «exercitationes» non habere quibus alumnorum mentes assiduo labore excolantur et exercentur. Quae his libellis continentur commodo magistris et alumnis esse poterunt; inventient enim themata quibus syntaxis iterum recolatur (pp. 3-26), exercitationes stilisticae latinae (pp. 30-46), themata stilistica (pp. 50-57), excerpta stilisticis notis ornata ex Ciceronis oratione Pro Archia (pp. 79-84).

Altero libello —constat 23 paginis— summa principia stilisticae latinae proponuntur.

Alumni qui duce magistro haec opuscula diligenter tractent summa syntaxis et stilisticae praecepta percipient et ediscent. Attamen —quanquam exercitationes et themata non multa difficultate grauentur— praeceptor haud pauca explicare debbit ut recte has scriptiones alumni perficiant.

Ceterum stilisticae principia sermone latino conscripta elegantiore dictione latina —quae discentibus exemplo esset— tradi oportebat.

J. M.^a MIR, C. M. F.

PERRI FRANCESCO - *Nel paese dell'ulivo. Le belle tavole della mitologia classica*. Società Editrice Internazionale. Torino 1958.

En fasciculus pulcherrimarum antiquitatis graecae fabularum, quas collegit et luculentissima oratione descripsit Fr. Perri Liber amoenitate conspersus legitur uno tractu et rerum pulchritudine et jucundissima descriptione. Fabulae collectae sunt: de Olivae origine, de Prometheo, Chelones fabulae, cet. Postremae narrantur Herculis historiae et Midiae regis.

Liber pueris dicatur, qui, ut spero, et charta optima, et scittis versicoloribus picturis ipsisque fabulis, quin totum legant se non tenebunt.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

MARCELLO FORTINA. — *Epaminonda*. Società Editrice Internazionale. Torino, 1958.

Epaminondas, qui fuit auctor atque effector illius thebaeae potentiae qua Thebae in Graecis, ineunte saeculo IV ante Ch. natum, primas gerebant partes, semper est quidem inter praeclaros duces exercituum atque rei militaris artifices iudicatus; quod vero ad politicam ejus actionem non aequè consentiunt historicorum sententiae.

Clarus vir M. Fortina, ad fontes adiens eosque investigans, cum rectam viri opinionem inducere et justa operis prodere iudicia, tum etiam notitiae illius temporis favere intendit, quod quidem ad progressum historicum Graeciae maxime interest. Ex vetustis igitur monumentis quasi lapides eruit quibus,

compage quadam ordinatis, solidum aedificium construit; non ita tamen ut ipsa veterum verba, sed eorum nobis solum doctrinam demonstrat; nec tantum antiquitatis manu ducitur: hodiernorum quoque doctorum, idque persaepe subsidiis utitur. Cave tamen credas, ex hac locorum et iudiciorum collatione, opus tarditate laborare. Nihilominus. Narratio contra, infra paginam suppositis notationibus, continenter facilis et clara ducitur; et in his notis auctorum sententiae interdum inter se conferuntur. Hoc modo integrae Thebae vitae compositionem prosecutus est auctor, eamque, opinamur, est adeptus perfectam.

Sic liber, nulla praefatione praemissa, se ipse introducit sua perspicuitate; per Epaminandae vitae partes dividitur atque in fine conclusionibus compertis clauditur. Illis praecipue excultis viris certo sci mus librum, ex sincero stilo specietque quibus splendet, amicis optimum merito fore, qui aetatis aureae scriptores, eorumque politicam artem penitus callere et explicare conantur.

EULOGIUS TEJERINA CANAL, C. M. F.

Archilochos, Griechische und deutsch heraus gegeben von MAX TREU. Heimeran Verlag. München, 1959.

Hanc editionem conversione germanica auctam copiosisque notulis et commentariis illustratam paravit paratamque primum in Officina libraria Heimeran Max. Treu edidit. Locupletem hanc editionem appellemus in qua primo loco nova Archilochi fragmenta nuper inventa exhibentur, deinde versus elegiaci, tambi cum «monumento Archilochio», Asynarteti, Lyrici, incerti libri fragmenta iambica. Denique indirecti fontes afferuntur et biographica testimonia. In appendice legas brevem, elegantem Archilochi poetae conspectum. Notulae —quae ut in huiusmodi libris mos est— clarae, perspicuae, ad rem pertinentes, omnia complectentes quae carmina quoquomodo illustrare possunt. Editio ergo haec studiis recentioribus plene aptatur. Haec cum editione Alcae et Sapphus —Corpus Heimeranum amplissime honorant et ornant.

Hispanis maximo solacio erit quod clarissimi cives nostri Fernández Galiano et Rodríguez Adrados cum honore afferuntur. Quorum virorum vox externas gentes invadens, testimonio erit quantum litterae hispanicae in his investigandis progressae sint et progredi possint.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

TACITUS. — *Historien*, deutsche Gesamtausgabe, uebersetzt und mit Anmerkungen versehen von Walther SONTHEIMER, Einleitung von Viktor POESCHL. Mit einer Karte. Alfred Kroener Verlag, Stuttgart, 1959.

Densum volumen hoc, sicut et alia quae elaboratum illud corpus «Kroeners Taschenausgabe» constituunt; in quo corpore numero 299 insignitur. Versio autem germanica, accuratissima. Operi autem huic anteit luculenta praefatio (pp. VII-XXXIV), a praeclearo viro Victore Poeschl exarata, quae tota est de re politica temporibus historici C. C. Taciti. Magni ingenti et eruditionis lucubratio.

Quinque igitur librorum Taciti translatio, a pagina 1 ad 307 usque, felici sane calamo, decurrit. Tum plurimae historicae, geographicae, chronologicae in singulos libros annotationes (pp. 308-359). Tabula dein temporum seu chronologica (pp. 340-342). Onomasticus denique index una cum tabula geographica ad unguem explicata (pp. 343-359).

Liber historicis prae primis commodus atque utilis, qui et a latinitatis cultoribus maximi, si quid mei est iudicii, aestimabitur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

GERHARD ROHLFS. — *Manual de Filosofía Hispánica*. Guía bibliográfica, crítica y metódica. Traducción castellana del Manuscrito alemán por Carlos PATIÑO ROSSELLI. Publicaciones del Instituto Caro y Cuervo, XII. Bogotá, Colombia.

Quasi summa est volumen hoc de Philologia hispanica, quae in quattuor commode partes distinguitur. A. Philologia iberica romanica (pp. 7-45). B. Philologia hispanica (pp. 47-227). C. Philologia catalaunica (pp.

229-274) D. Philologia lusitana (pp. 275-347). Indices auctorum, rerum, vocabulorum, nominum, opus praeclarissimo Professoris G. Rohlfis, in Hispanicam linguam ab extimio viro C. Patiño conversum, plene absolvunt (pp. 349-374).

Jam vero opus hujusmodi, ipsa quod inscriptione indicatur, tanquam dux in re bibliographica, critica, methodica habendus est. Hujus libri ope explicatur argumentum duorum voluminum quibus titulus *Romanische Philologie* ab officina libraria Caroli Winter, annis autem 1950 et 1951, editorum: ubi sapiens scriptor de Philologia gallica Italica, cet. fusius agit, ut romanicae scilicet linguisticae disertissimus quisque.

In unius cujusque linguae romanicae studio disquisitioneque, parili fere via et ratione, atque magno quidem ingenio, procedit auctor, ut librum nobis linguisticae romanicae perutilem conscripserit. Qua de causa lectoribus commentarii nostri commendare minime cunctamur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

A. PRUDENZIO CLEMENTE. — *Cathemerinon (Inni della Giornata)*. Traduzione in prosa e in versi di Raffaele ARGENTIO Società Editrice Dante Alighieri, 1959.

In libri hujus praefatione non nulla a praeclearo viro R. Argenio cursim disseruntur, atque ea magni quidem sunt momenti latinarum litterarum cultori, de poësi christiana saeculo quarto; de M. Aurelii Clementis Prudentii vita; de ejusmodi opere litterario; de classica imitatione; de christiana Prudentii fide; de naevulis in arte poëtica Prudentiana (pp. 5-19).

Copiosa de re bibliographia dissertationes, translationes speciminis ergo afferuntur (pp. 20-21). Jam vero liber in duas partes dividitur.

Prima pars (pp. 22-142) praefatione atque duodecim hymnis, Italica hinc latina inde lingua dispositis, hoc vero tenore, constat: Hymnus ad Galli Cantum, Hymnus Matutinus, Hymnus ante Cibum, Hymnus post Cibum, Hymnus ad Incensum Lucernae, Hymnus ante Somnum, Hymnus Jejunantium, Hymnus post Jejunium, Hymnus omnis Ho-

rac, Hymnus circa Exsequias Defuncti. Hymnus VIII Kal. Januariarum, Hymnus Epiphaniae.

Altera autem libri pars (pp. 143-207) et hymnorum conversio Italica est, modo tamen poetico: nempe pede victo et soluto nobilissimus scriptor opus hoc in commodum humaniorum litterarum cultorum exaravit, quod ei quidem grato animo referendum

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

M. VALERI MARCIAL. — *Epigrammes*. Vol. IV. Text i traducció de Miquel Dolç. Fundació Bernat Metge, Barcelona, 1959.

In hoc volumine Michaël Dolç epigrammatum libros XI et XII editi Martialis latine editos et catalaunice, eadem prorsus ratione et perfectione qua illa priora edidit volumina. Hic quoque —sapienter sane— sine conversione relinquit quae obscena sunt vel non decentia vel indigna quae convertantur, quae vero duriora sunt, poltius reddit ne legentium pudor laedatur. Quod quidem merito operis auctorisque laudi est tribuendum.

Nemo est qui ignoret M. Dolç eorum esse ex Martialis carminum studiosis virum peritissimum. Quam cognitionem et studium hoc novo commendat volumine et speramus brevi amplius commendaturum totum opus conficiendo.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

L. A. SENECA, *Quæstiones naturals*. Volum III. Text revisat i traducció del Dr. Carles CARDÓ. Fundació Bernat Metge. Barcelona, 1959.

Tertium et ultimum hujus Senecae operis volumen praebemus, quod eadem ratione et via ac primum et alterum editum est, et «Quæstionum Naturalium» libros V, VI, VII, conversione catalaunica accuratissima auctum, exhibet. Volumen completur copioso nominum indice in toto opere prolatorum. Quamquam plurima quae hic Seneca profert puerilla et ridicula videntur, tamen plura ibi legas adumbrata quae temporibus nostris mirifice illustrata vidimus. Praeterea humanitatem illam et philosophiam Senecae propriam

in singulis libris scaturire percipies eaque delectaberis. Hortatur enim ut toto animo rebus investigandis naturae vacemus. «Tarde —ita monet— magna proveniunt, utique si labor cessat». Necessae est ut juvenis sobria tota incumbat in laborem ut in fundum ventatur in quo veritas posita est «quam nunc in summa terra et levi manu quaerimus».

Dolendum quod Dr. C. Cardó, hujus conversionis effector, morte affectus ultimum volumen operis editum videre non potuit.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

BILINSKI, BRONISLAW — *Actio ed i Gracchi*. Contributo alla Storia della plebe e della tragedia romana. Angelo Signorelli, Editore, Roma.

Fasciculus tertius hic collationum, editarum cura Academiae polonensis Scientiarum et Litterarum. Academiae rector est hujusmodi libelli praeclarus scriptor. Ex cujus inscriptione facile propositum opusculi explicatur, quod quinquaginta admodum pagellis absolvitur. Coptosa ibi bibliographia invenitur de auctoribus bene meritis, in explicandis traegeditis, fabulis atellanis, mimis latinis. Perpicuitate et mentis ingentia haec commendatur de re latina collatio, in bibliotheca romana Academiae polonensis Scientiarum et Litterarum, die 5 decembris anni 1957, habita.

PHILOPONUS, C. M. F.

PORTALUPI, FELICITA. — *Il Futuro predicente latino*. Università di Torino, Pubblicazioni della Facoltà di Magistero, 10. G. Giappichelli, Editore, Torino, 1957.

PORTALUPI, FELICITA. — *Sulla corrente rodiese*. Università di Torino Pubblicazioni della Facoltà di Magistero, 7. G. Giappichelli, Editore, Torino, 1957.

En tibi geminae lucubrationes, a praeclara Doctrice F. Portalupi lepide exaratae. In altera autem ad quaestionem illam enucleandam de re grammatica denuo adnititur, de usu et significatione et origine futuri dicti periphrastici: - *turus* + *sum*. Explicatio de re facilis, ampla, erudita. Triginta admodum pagellis absolvitur quaestionis expositio.

In altera vero non nulla degustanda lectori profert, de eloquentia Marci Tullii Ciceronis, in eloquentiae graecae scholis. Praefatio (pp. 5-6). De eloquentia asiatica (pp. 6-10). De schola rhodia (pp. 10-19) Propria in doles eloquentiae ciceronianae (pp. 20-27). Conclusio (p. 28).

Imo quidem ex corde gratulamur extimiae latinarum litterarum cultrici F. Portalupi, quae has scitas lucubrationes exaravit.

A. MARQUÉS, C. M. F.

SANT'AMBROGIO. — *De Fuga Saeculi*. Traduzione e note di Felicità PORTALUPI. G. Giappichelli, Editore, Torino. Università di Torino, Pubblicazioni della Facoltà di Magistero.

Bellus fasciculus, quinque et sexaginta pagellarum, ubi conversionem in linguam italicam invenes orationis «De Fuga saeculi», a Sancto Ambrosio exaratae. Aptius ibi enucleantur nonnullae difficultates in textu latino, densioris quidem elocutionis. Editio accurata, intellectu facilis pluribusque, atque itis omnino ad rem, notis adaucta. Digna quidem elucubratio, quae in «Pubblicazioni della Facoltà di Magistero» Universitatis Taurinensis adhibeatur.

DORIA, MARIO. — *Interpretazioni di testi miceneti*.

II. *Le iscrizioni della classe Cn di Pilo*. Istituto di Glottologia. N. 2. Trieste, 1958.

Opusculum eruditum, ab eruditisque scriptum, de non nullorum interpretatione textuum mycenaeorum. Propositum scriptoris non est originis historiam definire ideogrammatum, quae scriptiones mycenaee in «Lineare B» classis Cn di Pilo informant. Opus praecipuum lectori commendat: M. VENTRIS-J. CHADWICK, *Documents in Mycenaean Greek, Three hundred selected Tablets from Knossos, Pylos and Mycenae, with Commentary and Vocabulary*, Cambridge Univ. Press 1956.

Magno autem ingenio sese praebet auctor in tabellis interpretandis, quae tamquam ideogrammata mycenaee constituunt. Opus hoc maxime probatum est ab Universitate turgestina Studiorum, in Facultate litterarum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

MILANO, EUCLIDE. — *Come ti chiami? I nomi propri di persona nella storia, nella lingua e nell'uso*. Con un dizionario di nomi che ne dà l'origine e il significato. Torino, Società Editrice Internazionale.

In introductione (pp. 7-11) clarus vir Euclides Milano de proposito in hoc libro parando agit. Fructus quidem est diutini laboris et investigationis ut multa consuleret et difficultates solveret. Praecipua vero quae hoc libro evulgantur, prius edita sunt in actis diurnis quae *Eva* inscribuntur.

En tibi cursim libri huiusmodi tenor: Ex oriente (pp. 12-18). De gente israelitica (pp. 19-23). De Hellade sacra (pp. 24-33). Nomina, personae, res (pp. 34-44). De re onomastica romana (pp. 45-56). De re onomastica germanica (pp. 57-65). Sub vestigia Jesu (pp. 66-75). De origine cognominum (pp. 76-86). Nomina nova et novissima (pp. 87-95). De exterophilla (pp. 96-104). Nomina Sanctorum (pp. 105-116). Nomina commutata (pp. 117-130). De rebus curiosis atque scitis (pp. 131-143). Nonnullorum fasciculus nominum (pp. 144-169). De nominis electione (pp. 170-186).

Duae appendices librum amplius commendat: hinc nomina propria personarum, «alphabetico» ordine digesta (pp. 187-222); inde Onomastica, e martyrologio romano desumpta (pp. 223-233). Facile liber percurritur ex commodissima typographia; immo et calamo facili totus, divulgationis gratia, evolvitur.

PHILOPONUS, C. M. F.

MENGE, HERMANN. — *Lateinische Synonymik*. 5. Auflage durchgesehen und erweitert von O. Schönberger. Heidelberg, 1959. Carl Winter-Universitätsverlag.

Quintum jam in lucem editur hoc opus, *Lateinische Synonymik*, ab egregio latinistae magistro, Doctore Hermanno Menge, exaratum in humaniorum litterarum decus. Dignissimum sane quod litterarum latinarum cultoribus commendetur. Utinam in hispanicam linguam hoc opus a clari ingenii viro converteretur!

Hanc vero libri editionem sedulo praeclarus vir O. Schoenberger ordinavit, eo tamen animo, ut quam parcius textum retractaret, idque non immerito.

Germanus hic sermo densior atque acrior; nonnullaeque jam obsoletae voces sunt evulsae. Quaedam autem etymologiae et rei explicationes in melius, quod quidem hodierna philologia postulabat, concinnantur; exempla quaedam mnovantur et perpalluntur; nonnullae denique, complementi causa colliguntur.

Indice vocum latinarum et germanicarum, in fine operis adhibito, longe commodissimus usus «Lexici Synonymorum» redditur, quod 236 paginis, una cum 363 vocabulorum nodis, constare ipse curiosus lector cernet.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

ADRO XAVIER. — *Cara a Cara. Novela. Editorial «Tip. Cat. Casals».* Barcelona, 1959.

Novum hoc lepidum opus *illis* addendum, quae ex facili calamo praeclari scriptoris et polygraphi, qui vulgo ADRO XAVIER, adhuc prodierunt. Vigore sane atque vi huiusmodi thematis quod est «Dolor et Atheismus», nobilis auctor fabella insigni, lectu quidem jucunda nos delectat.

Quae et philosophiae plena est rei accommodata cum ratione psychologica et spirituali: eamque legens velut acroama animi sensuum perfectum absolutumque percipies. Ingenii vero acumina scriptoris paene innumera, ejusque stilus usque floridus, locuples, fluidus colore eaque re ornatus quam «dramatismum» forsitan dicas.

Volumen nempe plus 300 pagellarum, tota arte typographica technica expressum, commodi scilicet pretii (54 pesetarum). Certe volumen domum Editricem «Typ. Cath. Casals» amplissime commendat. Idemque de claro viro ADRO XAVIER habeto.

A. MARQUÉS, C. M. F.

CARLO DEL GRANDE. — *Phorminx - Antologia della Lirica Greca.* Seconda edizione; pag. 374, 15x22. Loffredo. Napoli, 1959.

Haec Lyricae Graecae Anthologica, quamvis Lycéis italicis sit conscripta, ob ejus tamen amplitudinem et perfectionem magno

cum plausu summaque voluptate *illis* qui graecis litteris inserviunt et acceptum et probatum iri putamus.

Hoc opere auctores continentur et poëmata omnigena, nam tempora ex Homericis hymnis usque ad postremos Palatinae Antologiae scriptores amplectitur. Est quod cl. vir Carolus del Grande sit coactus curam, in auctoribus et carminibus expendendis seligendisque, adhibere maximam neque - ut patet - de Anthologia ex omni parte perfecta agitur.

Primum locum carminum quantitate, in hac Anthologia Lyrica Alcaeus tenet (16 carmina), quem sequuntur Archilochus (14 carmina) et Sapho (12 carmina). Inveniuntur quoque in libro pulcherrima poëmata, quaedam orphicae originis fragmenta aliaque carmina quae originem popularem habent, ut lepidissimum illud carmen seu cantilena hirundinis quae a pueris Rhodiensibus, vere veniente, ut munuscula acciperent, concinebatur.

Prooemium praemittitur (pp. 7-25) de ratione seu via quam auctor in opere exarando et conficiendo est secutus atque magni momenti de re metrica graeca quaestiones. Unumquodque carmen brevis auctoris biographia cum optimo, copioso, uberrimoque commentario - metrico, grammatico et stilistico - illustratur quod faciliorem reddit conversionem.

Opus in hodierna bibliographia (pp. 365-368) quam magni litterarum graecarum studiosi facient.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.

VIRGILIO — *Le Bucoliche.* Testo, costruzione diretta, versione letterale interlineare, argomento, note, scansione metrica e cesura. A cura del Prof. V. COSTA. Editrice Ciranna, Siracusa - Palermo - Roma - Milano, 1958.

Varias, ut altero titulo supra demonstratur, res auctor V. Costa attingit. De versione dicendum rem sane difficilem eum assecutum esse, quod verbum e verbo exprimens, a sensu tamen primigenio nunquam avertat. Minus apte forsitan eum agere censeo cum pastorum nomina ad alios referat. Sic in Ecloga V invenimus: «Mopso, nome di pas-

tore-poeta», cum, ut historia fallat, Mopsus ille habeatur AEMILIUS MACER, «Veronensis poeta, amicus Vergili amatissimus» (*Schol. Bern. ad Ecl. V, 1*). Auctor quidem non intendit notas críticas exarare; tamen, quid temporis aut chartae haec brevis notula surripisset? Libellum valde utilem dicam, quem rerum Latinarum studiosis maxime commendo

J. ALOISIUS BRASERO, C. M. F.

M. J. DE LACROIX DE LAVALETTE. — *Albius ou L'Expédition d'un officier romain en Gaule*. Les Éditions de l'École, Paris, 1959, pp. 207.

Hoc libro commenticia de Albio Tibullo fabula continetur, quam auctor de Lacroix de Lavalette, rebus historicis et carminibus natus, vitam Albi Tibulli poetae — et cum vita veterum Institutionum et historiae adjuncta — necit et scribit. Opus delectationi erit legenti, nam et charta optima et typo nitido et multis photographiis ornatur. Res quoque apte concinneque narratur. «Arria», altus auctoris liber ejusdem generis, ab Academia Gallica praemio honestatus est. Quem finem intendit (recreando nempe docere), optime, prout mihi videtur, assecutus est.

JOSEPHUS A. BRASERO, C. M. F.

ANDREANI ANTONELLI, MARIA. — *Temi svolti di latino*. Ad uso dei concorsi nelle scuole medie. Editrice Ciranna. Corso Matteotti, 7, Siracusa.

Hoc opusculum de usu exercitationeque Latinae linguae exemplar est apprime elaboratum a clarissima Latinitatis Doctrice, Maria A. Antonelli. Estque quidem quod rem laudibus gestam efferamus; nonne Latinam hodie linguam, eamque pellucidam, proferre valeat studiosus hujus linguae alumnus? Magistri saltem non desunt.

Libellus hic laetanti animo ab alumno Latinitatis perlegetur, qui maximum sine dubio capiet inde profectum. Ad propositum assequendum, en ipsius tibi auctoris voces: «Cum forte accepissem Ciranna editorem, de litterarum studiis et doctrina optime meritum, in lucem proferre statuisse quaedam

exemplaria Latina exarata, ad eorum usum qui certamen de munere publice docendi inturi essent, putavi me bene facturam, si pulverem e meis scriptis excuterem, quae olim composuissem, cum ipsa mihi quaedam proposuissem, de quibus Latina lingua disputarem. Nam haec propter simplicitatem ac paene dixerim perspicuitatem digna mihi quidem videntur quae in publicum emittantur, ut legentibus varia argumenta conciliare eademque familiaria reddere possint, cum tamen minime velim omnia ita accipiantur, quasi ad verbum servanda ac repetenda sint». Propositum auctoris nostri; ad rem sedulo incumbe: bene de Latina lingua mereberis.

PHILOPONUS, C. M. F.

FERRERO, LEONARDO. — *Letteratura Latina*. Profilo e testimonianze. «La Nuova Italia» Editrice, Firenze, 1959, pp. XXXV, 482

Magistri imprimis Leonardi Ferrero virtutem constantiamque collaudo qui tot auctores tantasque eorum notitias sine ullo legentis fastidio cumulare valuerit; praeterea cognitum compertumque habeamus, omnium auctorum personas auctorem nostrum ad ultimam deduxisse explicationem. Neque vero me fallit quin, ea quae tam accurate scienterque agit, multis jam annis mente volutasset, uti ex mera ipsius actoris recensione operum in prima libri pagina patet. Multas litterarum sectas multorumque scriptorum breves easque selectas notitias in hoc libro inventes. Litterae Latinae ab incunabulis ad earum occasum — cum Prudentio et Augustino — per has 482 paginas decurrunt. En habe exemplum — unum ex mille — quo modo auctor paucis verbis — rem sane arduam in tantis virorum litteratorum revisionibus — certam sententiam exprimat. Nunc sermo est de Juvenco, poeta Hispano, cui sex tantum lineas dicat: «...cantando epicamente l'heroe della nuova epopea, il Cristo, con una parafrasi poetica e paludata del Vangelo secondo Matteo, non rendendosi conto della ripugnanza del Verbo cristiano, umile ed umano, ad una pomposità classicista» (443). Haec tantum de Juvenco; quae tamen sufficiant.

J. ALOISIUS BRASERO, C. M. F.

AMEDEO MAIURI. — *Pompei ed Ercolano fra case e abitanti*. Aldo Martello editore. Milano, 1959, pp. 387.

Mihi liceat Amadeo Maiuri monumentum erigere, qui halitum atque omnem vim humanam ex ruinis ita nobis praebuit ut «dramaticum» opus potius conscripsisse eum existimem; ac tametsi de re historica et antiqua liber plurimum meretur, in qua peritissimum auctorem nostrum dicas, atque investigatio seu Pompeji et Herculani multis annis locorum exploratio technicum scriptorem eum faciunt in architectura, pictura, scriptionibus antiquis, tamen omnibus rebus humanam ejus loquelam anteponeam, quae illas tanta calamitate affectas victimas quasi iterum viventes nobis repraesentet. Charta typis optimis ornatur, XLII eisque pulchris ac bene expressis photographiis ac picturis praestat. Librum tam scite confectum, tam pulcre et eleganter conscriptum omni studioso viro, quam maxime commendamus.

J. ALOISIUS BRASERO, C. M. F.

J. DE FOUCAULT. — *Pratique du Latin*. Editions J. de Gigord. Paris, 1957, pag. 491.

Opus quod tibi, lector humanissime, libenti animo offerimus, aptissimo est complemento Latinae illi Grammaticae — cui index *Initiation au Latin* — ab eodem auctore, alumnis primae classis (*Sixième*) propositae.

Liber hic bifariam dividitur: Praecepta Grammatica et Exercitia. Praecepta — juxta tria anni scholaris trimestria tempora — in partes tres distribuitur quarum prima (pp. 3-77) superioris curriculi recognitio quaedam esse videtur, nominum verborumque flexiones et syntaxis elementa ordinate, jucunde exponuntur; altera parte (pp. 83-160) pronomina praesertim et propositiones completivae continentur; in tertia denique parte de circumstantialibus propositionibus aliisque, quae ad verborum syntaxim spectant agitur.

Unoquoque vero capite — liber XXIX constat capitibus — permulta continentur themata, in gallicum vel latinum sermonem, ex classicis excerpta, convertenda; «primaria» quoque (*palabras básicas*) vocabula ut alumni facile et pedetemptim in «primam» cognitionem

inducantur; et vocabula nostrae aetatis ut res hodierna mente et concipiuntur et exprimantur. Statutis locis facinosa illa Pinoculi (*Pinocchio*) lepidissima (quantam ex illis pueri percipient voluptatem!) a cl. Professore Henrico Maffacini latine conversa interpolantur, quo suavius et jucundius lingua latina discatur.

Altero vero operis pars (pp. 283-406) versionis exercitia desumpta ex libro «De Viris Illustribus», (LVIII themata), ex Phaedri fabulis (XXXII fabulae), ex Cornelio Nepote (pp. 379-398), ex Ciceronis litteris (pp. 399-411) complectitur.

Liber hic uberi lexico seu vocabulorum serie (pp. 415-476) clauditur, tabulisque depictis LXXXVI quae ad vitam, mores, historiam romanam referentur honestatur.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.

P. CLARAC. — *La Fontaine*. Connaissance des Lettres, 21. Hatier, 8, Rue D'Assas, Paris.

En lepidus tibi libellus illius Corporis «Connaissance des Lettres» a clarissimo viro René Jasinski, Academiae Gallicae, in Sorbonna Professore moderati. Fabellarum nobilissimis Fictoris, La Fontaine, cum vitae curriculum, tum eximium litterarium opus, nitido quidem agilique calamo Petri Clarac, tanquam ante oculos lectoris hic adhibentur.

Quattuordecim capitibus, lectu jucundissimis opusculum perficitur et commendatur. I. *Un bon garçon* (pp. 5-14). II. *Ménage et finances* (pp. 15-24). III. *Les premiers vers* (pp. 25-31). IV. *Vaux et Luxembourg* (pp. 32-44). V. «*Les quatre amis?*» (pp. 45-53). VI. *Les contes* (pp. 54-66). VII. *Les premières Fables* (pp. 67-86). VIII. *De Psyché à Saint Malc* (pp. 87-104). IX. *Le théâtre et l'opéra* (pp. 105-111). X. *Le salon de la rue Neuve-des-petits-champs* (pp. 112-114). XI. *Le second recueil de fables* (pp. 115-122). XII. «*Ne point errer est chose au-dessus de mes forces*» (pp. 123-135). XIII. *Le «dies irae»* (pp. 136-140). XIV. «*Un miracle de culture*» (pp. 141-144).

Unicuique capiti notulae, in extremo libro adjunctae (pp. 145-176), rem mirifice exornant atque complent. Brevissima, appendicis ergo, adduntur de «*Le manuscrit des Rieurs du*

Beau Richard et de «La première édition de la fable le Curé et le Mort» (pp. 177-179). Bibliographia ampla et nostra ad tempora producta.

A. MARQUÉS, C. M. F.

FRISK HJALMAR. — *Griechisches Etymologisches Wörterbuch*. Lieferung 9. Heidelberg, 1959. Carl Winter Universitätsverlag.

Jam octies hujus magni operis fasciculos recensuimus in PALAESTRA LATINA. Quem nunc nuntiamus nonus est et verborum a καλή ad κλάδος origines investigat. Omnia verba tractat et expedit summa eruditione. Liber modo paginam 864 attigit. Utinam quam primum totum absolvatur hoc utilissimum opus.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

OERBERG, HANS H. — *Lingua Latina secundum naturae rationem explicata*. Consiliis adiuvit Arthur M. JENSEN, qui illam rationem instituit. Praefationes addiderunt Louis HJIRLSLEV, Jens HOLT, Per KRARUP. Naturmetodens Sproginstitut. Raadhusvej, 24. Charlottenlund. Danmark.

Lingua latina per se ipsa explicata secundum naturae rationem exhibetur a Joanne OERBERG. Qui quidem linguam latinam tradere conatur ut linguam nunc viventem et qua ratione et via hodiernae linguae traduntur. Quia propter jam inde a primo fasciculo —methodus enim fasciculis separatis, ad praesens XV numero, constat—, omnia latine proponit, nullo danico verbo adhibito. Ita ut et exterarum gentium alumnis utilis esse possit. Nam verba et sententia ea ratione selegit ut alumnus facile narrationes de vita, moribus, institutionibus veterum Romanorum, ipse per se eruere possit et gradatim ediscere. Verba quae in textu nova sunt vel captu difficiliora, ad marginem vel verbis jam cognitis vel scitis figuris adhibitis, apte explicantur. Ratio igitur efficax quam maxime, et jucunda et plana.

Libelli prae primis summo usu! erunt his qui jam adulti linguam latinam proprio Marte sibi comparare studuerint. At etiam pueris

instituendis —magistro moderante— summae erunt utilitati, ut socius meus his libellis hoc anno usus mihi profitebatur.

Operi complemento adduntur alii fasciculi quorum alius introductionem affert —danice scriptus in quo litterarum enuntiatio instaurata una proponitur—, alius artem grammaticam, latine tantum, alii varios vocabulorum indices habent.

Non possum hoc opus totis viribus non commendare, dum socio Lugdunensis Conventus de opere et recte concepto et rectius in felicem exitum perducto ex animo gratulor.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

ANGEL ROSEMBLAT. — *Ortega y Gasset: Lengua y estilo*. Instituto de Filología «Andrés Bello», Caracas, 1955, p. 77.

Josephum Ortega philosophum tanta cupiditas incendit bene ac pulchre dicendi ut ex ipsis metaphoris ac litteraria elocutione propria videatur constitui philosophia. Id auctor advertit qui de ejus dicendi genere exploravit deditque operam brevi sed meritissimo studio ut calamus Ortegianus, varius ac politus, magis in lucem pateret

Indoles libri est ut illos afferat textus qui genus dicendi Ortegianum per se ipsos significent. Textus non pauci et ordinati et bene allati apparent, quod magistrum Angelum Rosemblat totius operis Ortegae valde pertum monstrat. Opus confecit non criticum sed objectivum, idque, prout mihi videtur, valde certum maturumque et, quod raro fit, propria manu elaboratum.

Adde pulchram exhibitionem et libellum desideratissimum habebis.

JOS. ALOISIVS BRASERO, C. M. F.

Boletín de Dialectología Española. (Continuación del B. D. C.). Director: A. GRIERA. Tercera época. Tomo XXXV (1959). Abadía de San Cugat del Vallés (Barcelona) MCMLIX.

Nemo est inter eos qui litteras catalaunicas amant et excolunt qui nomen et opera clarissimi viri Antonii Griera cognita non habeant.

In fasciculo horum commentariorum, quos cl. mus. vir assiduitate maxima et animo strenuo vulgat, haec invenies: «*Tres fòssils de fonètica catalana*» (A. Griera). «*Medio siglo de filología catalana*» (A. Griera). «*Nombres personales y de lugar de origen catalán que comparecen en los «Rationes Decimarum» de Cerdeña*» (A. Griera). «*La Toponimia en el cartulario de San Cugat del Vallés*» (A. Griera · P. Roca Garriga). «*Unas rectificaciones al cartulario de San Cugat*» (F. Udina Martorell). *Bibliografia*.

JACOBUS SIDERA. C. M. F.

EBERLE, JOSEF. — *Stunden mit Ovid*. Artemis-Verlag Zürich und Stuttgart, 1959.

Paucis quidem horis is libellus perlegitur, cui aptior inscriptio «*Horae cum Ovidio*» esset. Lepida hujus lucubrationes capita I, II, III, VI ex IV, 10 *Tristium* desumuntur; V vero caput ex I, 8 *Ex Ponto*, hac ratione et ordine. I. «*Ille ego / Qui fuerim...*» (pp. 7-23). II. «*Sulmo mihi Patria est*» (pp. 27-33). III. «*Tenerorum lusor amorum*» (pp. 35-45). IV. «*Pygmalion*» (pp. 47-55). V. «*Urbis erepta voluptas*» (pp. 57-70). VI. *Non ero / Terra / Tuus...* (pp. 71-84).

Quibus quasi finibus actus, clarissimus vir J. Eberle in imum nos P. Ovidii Nasonis opus poëticum, idque maxima eruditione, inducit. Dicendi suavitatem undique in musa ovidiana conquirit, quo et latinitatis studiosum cultorem vel maxime delectat. «*Horae cum Ovidio*», bellae omnino horae.

BRACELAND, FRANCIS J. — *Fe, Razón y Psiquiatría moderna*. Traducido por F. MUÑOZ HIDALGO, O. P. Editorial Litúrgica Española, Barcelona, 1959.

Liber hic maximi quidem momenti in scientiarum provincia religiosa hujus nostrae aetatis; qui ex mutua plurimorum scriptorum opera confectus, nunc editur. Undecim scriptores, in sua cujusque re technica quam praeclarissimi, lectori scripta gravia, scientifica, humana, intellegibilia praebent, de vitae religiosae quaestionibus. Ab eisdem summae et mutuae relationes inter psychologiam, psychiatriam, fidem expendantur.

En tibi speciminis causa, rerum capita et auctores. 1. *La psiquiatría clínica, hoy y mañana*, F. J. Braceland, M. D. (pp. 21-53). 2. *La psiquiatría y el papel de las creencias personales*, Dr. Rudolf Allers (pp. 57-98). 3. *Psiquiatría y crisis existencial*, Juan J. López Ibor (pp. 101-138). 4. *Aspectos negativos y positivos de la fe religiosa*, Gregory Zilboorg, M. D. (pp. 141-170). 5. *Algunos aspectos espirituales de la psicoterapia*, Karl Stern, M. D. (pp. 173-192). 6. *El estudio del hombre: un ensayo en reconstrucción*, Vincent Edward Smith, Ph. D. (pp. 197-244). 7. *El hombre y sus símbolos*, Dorothy Donnelly, M. A. (pp. 247-273). 8. *Hacia una teología cristiana de la enfermedad*, Pedro Latn Entralgo, M. D. (pp. 272-326). 9. *Psicología y dirección espiritual*, Noël Mailloux, O. P. (pp. 329-350). 10. *Santidad y neurosis*, Jordan Aumann, O. O., S. T. D. (pp. 353-389).

Duce clarissimo viro Dre. Braceland, Praeside consociationis Americanae Psychiatricae, in unum lucubrationes hae sunt collectae Pater vero John Lafarge, S. J., luculentam de re praefationem contexit (pp. 7-15). Unicuique dissertationi lepida atque erudita introductio praedit, qua scilicet res ab studioso lectore penitus intellegatur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

NAUTON, PIERRE. — *Atlas linguistique et ethnographique du Massif Central*. Volume II - Le Paysan. Institut de Linguistique Romane de Lyon. Centre National de la recherche scientifique. 13, Quai Anatole France. Paris, 1959.

Opus grande et mole et re atque nomine Atlantis dignum, hoc volumen quod ad linguisticam pertinet et ad ethnographiam. Mirandum sane videtur quod his diebus nostris — quibus homines unam fere utilitatem affectant — tantum opus incipi potuerit et edi pergat. Dummodo viri in orbe sint qui tanta mente concipiant et in felicem eventum deducant, longa spes orbi relinquatur...

Inutile praeterea neque necessarium existimo hoc alterum «*Atlas linguistique*» dilaudare volumen. Opus ipsum illa disertissima eloquentia loquitur magnorum operum propria.

Auctor P. NAUTON, «*Chargé de Recherches au Centre National de la Recherche Scientifique*», nobilissimus in hac litterarum provincia vir, regionem «*Massif Central*» gallico nomine insignitam, tantum investigat: «*Atlas*» ergo regionalis est, qui optimam conferet operam *Atlanti* linguistico gallico. Hoc volumen *ruricolam* (*Le Paysan*) prospectat. Apud ruricolos autem consideranda sunt multa; primum habitatio (*Habitat*): villa ejusque partes constructio, domus, et supellex, lumen, ignis, aqua, utensilia. Deinde labores in agris: jugum, protelum (*attelage*), vehicula, arationem, instrumenta aratoria, pratium, fensicia, cerealia, messis, tritura (*battage*), lignum, vinum. Denique labores domestici — lac, panis, culina, purgatio, lexivia, sutura (*couture*), lana cannabis.

Omnia haec chartis variis pro singulis vocibus praebentur a n.º 621 ad 1234. Praeterea, quasi complementum auctor colligit vocabularia conjuncta earum rerum quae, cum minore extensione linguistica fruuntur, charta depicta non indigent. Haec pars, quae cultum cannabinum (*culture du chanvre*), vocabularium viticolarum, completur brevibus narrationibus ex ore senum anuumve collectis. Ultimae paginae tabulas depictas, ex photographiis desumptis, exhibent, quibus, quae per verba et chartas geographicas et linguisticas dicta sunt, omnino et commodo illustrantur. Ob tantum ergo opus et auctori illisque qui ei opem contulerunt, et Editori gratulamur, dum omninamur ex animo tempora bona et tranquilla ut cum pace, salute, gaudio tanto opere completo quam primum et ipsi et nos perfrui aliquando possimus.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

J. PERRET. — *Le verbe Latin*. Centre de Documentation Universitaire. Paris, 1958, pag. 140.

Nemo est litterarum classicarum Professor qui ignoret quot quantosque libros, nostris diebus, in lucem editi sint quibus permultae magnique momenti quaestiones ad verbi latini originem, divisionem, compagem exponuntur et tractantur.

In his libris optimis quidem, praestantem obtinet locum opus illud cl. Jacobi Perret

— cui index «*Le verbe latin*» — in Parisiorum Universitate classicarum litterarum excultissimi ac doctissimi professoris, quod uno tractu inexpletisque oculis, harum quaestionum amatores lecturos asserimus.

Habes ergo in promptu monographiam 140 paginarum — machina multiplicativa excusam — ubi, qua auctoris est scientia et peritia, multae agitantur quaestiones, quorum altae perbene explicantur et expromuntur, altae vero dubiae manent. Aggreditur in primis cl. scriptor de verbi latini «*categoryis*» disputationem: quid sint, quomodo et ortantur et definiantur et inter se referantur: (modus indicativus definitur «*un non subjonctif*» ... quod revera non nimis placere videtur). Insequuntur nonnullae quaestiones quarum hunc vide indiculum: a) «*Les phrases sans verbe en latin*», b) «*L'infinif centre de phrase*», ubi de infinitivis narrationis, exclamationis cet. — qui propositioni principali non subiciuntur — permagna fit disputatio; c) De verbis latinis qui sensum medium continent et reflexivum; d) Evolvitur tandem a cl. Jacobo Perret et exponitur quaestio illa de verbi latini origine — quam quaestionem summam libri dicere possis —. En quae videtur auctoris sententia: Modus indicativus originem habet se junctam (*dégagé*) a modo subjunctivo-optativo (*mode unique*), qui ex lege quam «*syncretisme*» vocant, varios antiquitus continebat modos.

Capita uberi atque hodierna bibliographia locupletantur.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

A. KOCH, S. J. - A. SANCHO, DOCETE t. VIII. La vida de perfección. Herder, Barcelona, 1960, pag. 534.

Sacerdotes, catechistae, magistri, concionatores, omnes qui magno commodo fruuntur opere quod DOCETE inscribitur quodque ab editrice domo Barcinonensi Herder editum est fieri non potest quin libenti animo opus hoc volumine VIII finitum videant.

Enimvero haec ultima operis pars summa seu commentatio totius scientiae asceticae et mysticae exstat, in qua de quaestionibus

agitur quae et pastoris animarum et apostoli munus spectant. Praecipuum in opere obtinent locum quae de virtutibus et donis Spiritus Sancti tractantur. Totius hujus summae virtus in eo sita est ut debitam rationem et momentum tribuatur iis quae christifidelem in ordine superna turali constituunt auxiliisque gratiae sanctum efficiunt.

Hoc volumine plane compleitur opus, cum volumine brevi edendo indices totius operis utilissimi sint continendi.

M. MOLINA, C. M. F.

H. FISCHER. — *Introducción al «Catecismo Católico»*. Herder, Barcelona, 1957, pag. 128.

Novum opus quod, «Catecismo Católico» inscribitur, diutini laboris, accuratae cogitationis, novarum cognitionum psychologiarum et paedagogicarum, veri erga pueritiam studii et curae, plurimorum tandem experientiorum, nobilis exstat fructus.

Primaeva forma «Catechismi» immutata est plurimaeque res novae in eo inveniuntur. Quae omnia jampridem necessarium Catechismi prooemium postulabant. Quapropter viri qui in nova Catechismi Catholici ratione laborarunt, aptissimi jure videntur qui nobis hoc prooemium praebeant ad instituendos catechistas in usu Catechismi Catholici et vera doctrinae cristianae christifidelibus tradenda retractatione.

En operis index: *Historia del Catecismo Católico* (Dr. H. FISCHER). *Su estructura* (F. SCHREIBMAYR). *Su forma expositiva* (H. FISCHER). *Su uso metódico* (Dr. R. TILMANN). *Ilustraciones* (Prof. A. BURKART). *Sus puntos esenciales teológico-catequísticos* (F. SCHREIBMAYR). *Su importancia para la predicación y cura de almas* (A. BARTH). *Iniciación de los catequistas en su uso* (A. HELLER). *Renovación del plan de estudios* (K. ZIELBAUER). *Diez reglas para el uso del Catecismo Católico* (Dr. K. TILMANN)

M. MOLINA, C. M. F.

BOLGIANI, FRANCO. — *La Conversione di S. Agostino e l'VIII.º libro delle «Confessioni»*. Volume VIII, Fasc. 4. Università di Torino.

Ex ipsa libri hujus inscriptione haud difficile intelleges, cum sensum tum fines

propositi clari scriptoris F. Bolgiani. Hac de re, apud innumeros «Augustianismi» cultores saepe saepius disputatum adhuc est, quod in dies, sine dubio, eandem hinc inde cantinelam canens, et aliorum auctorum iterabit ingenti acumen. Etenim methodus historica philologica haud in mathematicam quasi concordiam animos verget. Haec tamen lucubratio momenti maximi est, ut ex ejusdem distributione atque erudita tractatione patet.

Exposito in prooemio proposito (pp. 57), in quattuor capita res contrahitur. I. Quaestiones octavi libri «Confessionum» (pp. 915). Ibi de ipsa Augustini conversione deque ejus temporis momento; de variis Augustini experimentis; de genere litterario et de ideis theologis praecipuis erudite agitur.

II De «constructione critica scaenae conversionis» agustinianae (pp. 15-52). III. Scripta de libro octavo. «Confessionum» (pp. 53-80). IV. Conclusiones praecipuae e speciales quaestiones (pp. 81-126). Pulchre ibi disseritur de sinceritate Augustini; de «confessione» Deo facta; de sensu religioso sinceritatis Augustini; et inquiritur, quidnam rei significet in mente Augustini «conversio» ipsius; et etiam fidelitas in narrando Augustini; et litterarius aspectus VIII libri, etc.

Opus duo perficiunt appendices: I. Conversio Augustini in hymnologia medii aevi (pp. 129-160). Plures referuntur hymni, qui animo infigantur dignissimi cultoris humaniorum litterarum. II. De «iconographia» conversionis S. Augustini (pp. 161-176). Tredecim tabulae pictae adjunguntur technica quidem typographica exaratae; indices denique textuum, nominum, totius operis materiae. Liber luculenter eminet inter opera edita Facultatis Litterarum et Philosophiae Universitatis Taurinensis.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

~~~~~

Lectores qui in superiore fasciculo p. 116 nuntium judiciumque legerunt libri «Saggi di storia del Cristianesimo» monitos volumus hujus scriptores, A. Donini et M. Niccoli, esse excommunicatos et a fide defecisse.



SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetis; in Gallia: 2'50 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania 2 marcs; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

ANN. VI - (FASC. III) - N. 23

M. SEPTEMBRI

A. MCMLX

De capillorum cura  
mulierum romanarum



Natalicia T. Flavii hodie agitantur et omnes apud eum effuse exsultant; omnia ad convivium, ad amicorum et hospitem adventum parari oportet. Servi quaque per domum cursitant officii munia exsequentes.

E lecto quoque surrexit Terentilla, filia T. Flavii, quae nunc in corporis curam exercendam incumbit et in capillos comendos.

Adulescentula simplicem capillorum cultum adhibuit; quos in nodum collectos acu aut vitta vinciebat et ornabat.

Ipsa vero tutulum<sup>1</sup> —capillorum congeriem vittis innexorum in vertice capitis— non amat; sed antias<sup>2</sup> in frontem prodit, capronas<sup>3</sup> ex temporibus in malas demittit, cincinnos<sup>4</sup> varie effingit, quos plurimis ordinibus<sup>5</sup> anulisque<sup>6</sup> affabre confectis in orbem disponit<sup>7</sup>, vel in partes discriminat, apte innectit<sup>8</sup> et in spiram per caput ducit<sup>9</sup>. Terentillae —quod aliae maxime gestiunt— displicet crinibus turratum verticem struere<sup>10</sup> aut in flammeam<sup>11</sup> nigram caesariem mutare.

Neque vero Terentillae placet «faciem fucatam gestare, effigie mentiri», et ideo pigmenta seu medicamina faciei<sup>12</sup>, ut stibium<sup>13</sup>, fuliginem<sup>14</sup>, fucum<sup>15</sup>..., quibus abunde aliae matronae romanae utuntur, ipsa flocci non facit<sup>16</sup>.

1, tocado cónico muy alto. 2, flequillo. 3, tufo. 4, rizo, bucle. 5, hileras, series de rizos. 6, rizo, anillo. 7, repartir en forma de corona. 8, trenzar, hacer las trenzas. 9, disponer las trenzas en espiral sobre la cabeza. 10, levantar la cabellera en forma de torre. 11, de color rojizo, dorado. 12, cosmético, afeitte. 13, tinte negro de antimonio. 14, tinte negro. 15, colorete. 16, no hace caso.

# AGASO MEDITABUNDUS

Fuit quondam eques qui urbem petiit; cumque cognovisset multos ibi esse latrones, dixit agasoni:

—«Dormi, si vis, ego vigilabo, non enim omnem fiduciam in te habeo».

Agāso valde indignatus:

—«Heus, domine! respondit, non video cur ego dormiam, tu vero vigiles; hoc ferre non possum».

His verbis dominus tandem adductus est ut obdormiret, sed tribus post horis experrectus quaesivit:

—«Quid agis?». Cui agaso:

—«Meditor quomodo Deus terras supra aquas constituerit».

Tum dominus:

«Timeo ne fures interim veniant neque tu quidquam animadvertas».

Respondit Agāso:

«Dormi in utramque aurem; ego enim pro te excubo».

Eques ille iterum dormivit et media circiter nocte experrectus, interrogavit:

«Quid agis?».

«Considero quo modo Deus sine columnis caelum sustinere possit».

Quo responso dominus extimuit.

—«Tuis cogitationibus timere cogor ne, quod Deus avertat, veniant latrones et equum rapiant».

Equīso iterum iterumque ad omnia se et attentum et paratum esse affirmavit neque quidquam mali eventurum.

Cui rursus dominus:

«Somnum si habes dormi; ego vigilabo».

Sed agaso dixit se nullo modo dormiturum; quare eques iterum somno se tradidit. Prima luce experrectus dominus quaesivit:

«Quid agis?».

«Meditor cras ephippium nobis esse deferendum, nam equus ereptus est...»

---

## S O L U T I O N E S

(cfr. *Pat. Lat.* 1960, II, pp. 121, 126, 127; *Pal. Adulescentium*, n. 22, p. 17, 22, 23)

VERBA QUADRATA: 1, Onus; 2, Nemo; 3, Umor; 4, Sors.

VERBORUM AENIGMA: 1, Pecus, amare. 2, Emere, pice r. 3, Celoces, tu. 4, Uro, ponere  
5, Sacer, rasl. 6, Aper, pater. 7, Misera, ara. 8, Ac, natator. 9, Soter, erodo. 10, Erupti, raros

AD SALTUM EQUI: Munus proprium prudentiae est indagatio atque inventio veri.

---

## «Urkulu» pons in Cantabria

*In Cantabria occidentali mirae quaedam referuntur narrationes —opinionum commenta dixeris— memoria patrum proditae; ex quibus hanc desumpsi qua pons a diabolo confectus narratur.*

Fuerunt quondam mater et filia, Maria et Josepha, quae in vico «Gatzaga» vitam agebant. Josepha, ut aquam ex fonte singulis diebus domum deferret, rivulum prius transire debebat.

Quodam die, cum copiose pluisset, rivus extra ripas diffluit.

—«Hui!» —rem admirans inquit Josepha—, «diabolo animam darem, si hic pontem ipse erigeret».

Adest ilico diabolus et, «si promissis stabis, inquit, pontem conficiam. At quo tempore?»

Expavit puella, sed cum se voti prolati religione obstrictam crederet, secum cogitans diabolum minime facturum quod postularet, «prius quam gallus cantet», dixit.

Et continuo unusquisque in sedem suam, alius ad laborem, ad domum matris alia, redierunt.

Josephae vero animus ejusque vultus, semper laetiliam referens, nunc maerore conficiebatur.

—«Josepha, inquit mater, tu semper laeta es, nunc vero... Aliquid adversum in via ad «Urkulu» tibi evenisse valde suspicor».

Tum gemens, «prorsus perii», respondit.

—«Quid ergo?».

—«Hodie aliquantulum rivus exundavit et animo occurrit: «diabolo animam darem si ipse pontem hic erigeret, prius quam gallus cantet».

—«Ah, admodum stulta es!», inquit mater, sed rem prope componemus».

Et cum ecclesiae horologium decem horarum pulsationes edebat, Josepha «Urkulu» petebat ut pontis progressum perspiceret. Pervenit et... infandum! plurimos homines eosque nigerrimos vidit, nullum a labore tempus intermittentes inter se dicentes: «Accipe, Bartholomae, da mihi, Bartholomae; da mihi, Bartholomae; accipe Bartholomae; accipe Bartholomae; da mihi Bartholomae. Idque semel atque iterum repetebant.

In domum rusticam rediit Josepha et matri nuntiavit: «pons prorsus progreditur et jam ad exitum perducitur».

Mater cribrum festinanter paravit amplissimum, cui arrogantem imposuit gallum cereumque infra collocavit.

Tunc gallus quasi primam diei lucem advenisse percipere toto pectore cantavit: «cucurucu, cucurucu».

Qua voce audita omnes illi diaboli statim saxa, petras ceteraque relinquentes, veluti sagittis vulnerati, in profundum specum recesserunt.

Postero die, cum diluxisset, mater et filia ad diaboli opus perscrutandum adierunt; cumque unum tantum lapidem ponti deesse conspexerunt, magno animi pavore stupuerunt, Deoque maximas grates egerunt.

Sancti Dominici Calceatensis.

*Marianus Garro, C. M. F.*

e l.º Lycei Cursu

## GENTIS FABIAE



M. Fabio Cn. Manlio consulibus, in proelio cum Etruscis commisso, inter primores gens Fabia civibus insigni spectaculo exemploque fuit. Ex his Q. Fabium primum in confertos Veientes euntem, ferox viribus et armorum arte miles tuscus, incautum inter multas hostium manus versantem gladio per pectus transfigit; telo extracto, Fabius occumbit.

Sensit utraque acies unius viri casum, cedebantque inde Romani, cum M. Fabius consul transiit jacentis corpus objectaque parma: «Milites, inquit, adeo ignavissimos hostes magis timetis quam Jovem Martemque, per quos jurastis? At ego, injuratus, aut victor revertar aut prope te hic, Q. Fabi, dimicans cadam».

Consuli tum K. Fabius, superioris anni consul: «Verbisne istis, frater, ut pugnent te impetratum credis? Dii impetrabunt, per quos juraverunt; et nos, ut decet proceres, ut Fabio nomine est dignum, pugnando potius quam adhortando accendamus militum animos». Sic in primum infestis hastis provolant duo Fabii totamque moverunt aciem secum.

In cornu altero Cn. Manlius consul impiger pugnam ciebat; sed, ubi ille gravi vulnere ictus ex acie cessit, Romani rati consulem interfectum esse, gradum rettulerunt, cessissentque loco, ni consul alter, M. Fabius, cum aliquot turmis equitum in eam partem citato equo advectus, vivere clamitans collegam, se victorem fuso cornu adeset, auxilio eis venisset.


# VIRTUS MILITARIS

Interea hostes, abundanti multitudine militum freti, Romanorum castra occupaverant, sed, dum prae-dae magis quam pugnae memores tempus terunt, triarii romani, qui primum impetum sustinere non potuerant, missis ad consules nuntiis, quo loco res essent, conglobati ad praetorium redeunt et sua sponte ipsi proelium renovant.

Tum Manlius consul, in castra redux, omnes portas militibus custodit viamque hostibus claudit. Ea desperatio Tuscis rabiem magis quam audaciam accendit. Manus juvenum una in ipsum consulem insignem armis invadit. Prima excepta a circumstantibus tela; sustineri deinde vis nequit. Consul mortifero vulnere ictus cadit.

Tuscis crescit audacia; Romanos terror per tota castra trepidos agit et ad extremum casum perducti essent, ni legati, rapto consulis corpore, patefecissent una porta hostibus viam; ea erumpunt, consternatoque agmine abeuntes in victorem alterum incidunt consulem, M. Fabium; ibi iterum Tusci caesi sunt fusique passim.

Victoria egregia fuit, tristis tamen duobus tam claris funeribus. Itaque M. Fabius consul, decernente senatu triumphum, si exercitus sine imperatore triumphare possit, facile passurum respondit; se, familia funesta Q. Fabii fratris morte, re publica ex parte orba, consule altero amisso, publico privatoque luctu deformem lauream non accepturum.



# PUERI RIDENT ET DISCUNT...

## EST PULLUS IN OVO

Rustici duo opere diurno fessi in cauponam diverterant. «Cedo», inquit, «unicuique nostrum pernam, panem, ovum». Affert cauponarius et apponit. Eorum alter, postquam ovum cultro aperuit, pullum paene perfectum reperit. Re mira attonito socius: «Comede modo, ne, si forte tabernarius animadverterit, duplum tibi sit solvendum». Paret. Cum famem sedassent, rationem prandii postularunt. Tum vafer ille in socii aures dicit: «Noli gravari pro me quoque solvere. Nisi feceris, cauponario de pullo, quem pro ovo comedisti, dicam et largius solves»...

Erat in Anglia vates quidam, qui ex astrorum rationibus regem Henricum VII eo anno morturum praedixerat. Quod ubi rex audit, hominem accessit et inter alia sciscitatur, num ex astris certa praenuntiari possint. Affirmat. Num suae artis vere peritus sit? Etiam. «Dic mihi», inquit rex, «quo loco futurus sis Natalis Domini instantibus?». Haeret ille. Cum urgente rege se certum praedicere posse neget, rex: «Ego astrologiae peritior sum quam te. Nam scio te in carcere futurum», et imperat ut eo ducatur. Illic ut primum praedicendi calor refrigit, cum risu astrologus est dimissus.

N. MANGEOT, S. J

## IN SCHOLA HISTORIAE

Magister infacetus est. Multa loquitur ut pauca dicat. Nunc de viris illustribus disserit.

— Illi clarissimi viri...

E discipulis unus, qui inter dormitantes aliquantulum magistri verbis attentus erat, surgit:

— Magister, inquit, non bene a te dicta audiui. Potesne repetere?

— Meum est dicere, sed non repetere. Sede et melius attendas.

Hoc dum dicit, asinus, rudivit. Tunc discipulus:

— Ne repetas, inquit, jam audiui, noli repetere ne repeteris!

JACOBUS ACHÁBAL, C. M. P.

Castro Urdiales. V c. alumnus

## FELES FUR

Josephus media nocte audit strepitum. Surgit e lecto clamitans:

— Quis est? Quis est?

— Miau...u...u...u...!

Cubitum abit tranquillus, sed repente strepitu denuo audito, interrogat:

— Quisnam est?

— Miau...u...u...u...!

Iterum lectum petens eundem audit strepitum. Et ira furens:

— Videamus, inquit, quid accidat.

Tum fur qui strepitum ediderat:


— Jam tibi, inquit, significavi me felem esse!

Cui Josephus:

— Hui! Quae cum ita sint, nihil curandum!

JESUS LLOMPART

Barbasri e V Latinitatis cursu



## INTER FAMULOS

Nonne vides dominam crumenas do mihi perscrutantem? Adducti non possum ut credam esse usquam in terris homines adeo scrutatores...



# MISCENTES UTILE DULCI...

De Matthia Sarbievio S. J., Polonorum Horatio, anecdoton

Promptitudine in versibus fundendis Sarbievius pollebat incredibili. Cum Romae aliquando familiari cum Urbano VIII colloquio recrearetur, narravit Pontifex rem, quae non ita pridem evenerat: ivisse per pontem, substratum Tiberi, civem quendam romanum cum filiolo, quem manu duxisset, et cum cane; repente (temeritate an culpa, non constat) puerulum decidisse in fluvium; canem vero, qui decidentem infantem vidisset, e vestigio in aquam se dedisse pereuntemque fere puerulum arripuisse et viventem adhuc extraxisse. Volebat Urbanus, ut hanc fabulam carmine complecteretur Sarbievius, qui, pro celeri, quo erat captu, sine haesitatione hoc epigramma effudit:

Proicit in Tiberim puerum pater, at canis effert;  
Hic gerit officium patris; at ille canis.

Matthiae Casimiri Sarbievski  
Poëmata omnia. Staravieslae 1892  
In Vita Poëtae, pag. XVII.

*Quidam scholasticus qui Universitatem adibat litteras ad patrem misit petens ab eo 500 (quingentas) libellas quibus solveret sumptus et animum relaxaret.*

*Cito pater litteras remisit: «Fili, ahinc quatuor annos lectiones in Universitate audis, et 50 (quingenta) scribere nescis?».*

Castro Urdiales      J. E. MUÑOZ  
Vi C. alumnus

*Dux quidam coram militibus contionem habuit, quibus haec dixit: «Patria est mater nostra».*

*Deinde unum ex militibus interrogat:*

– Quid est patria, Antoni?

– Patria est mater mea.

*Postea Josepho:*

– Quid est patria, Josepho?

– Mater Antonii...

MODESTUS VICENTE

*Josephus: Quomodo, magister, filia tua appellatur?*

*Magister: Rem et nomen meditare; verte «asinum» et inventes..*

*Postridie venit Josephus in scholam et «Ignosce», inquit, magister, nam stabulum ingressus sum, «asinum» verti, sed nomen filiae nondum inventi...*

– *Munisa erat nomen filiae.*

Barbaetri      JOS. BELTRÁN  
e V C. latinitatis

– *Matercula! in somniis me faciem, abstergentem videbam... Num me iterum lavare oportet?*

Celsonae      P. CODINACHS



# B A R B A P U M

Fu- it in Ae- thi- o- pi- a rex o- lim Ras- Se- yum, Ras- Se- yum, Ras- Se- yum Bar- bam magnam ha- be- bat vo- ca- bant Barba- pum! Barbapum, Bar- ba- pum, Barbapum, Bar- ba- pum, Barba- pum Barbapum, Barba- pum - - -


Fuit in Aethiopia  
rex olim Ras Seyum,  
Barbam magnam habebat,  
vocabant «Barbapum».

Cum hoste magnum proelians  
movebat strepitum;  
tum milites clamabant:  
Videte «Barbapum».

Sed telo tandem obiit  
confossus hostium.  
Sit gloriae Aethiopiae!  
Sit quoque «Barbapum»!

## VERBORUM AENIGMA

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10



*In transversum idemque ad perpendicularum.*  
1, Soricis; sollertiam. 2, Fecundo; vetus Galliae populus. 3, Strepit; litterae ex «hara». 4, Buccae (*litteris versis*); rapio. 5, Lumbi (*genit., litteris versis*); cremor. 6, Cibabor; averte. 7, Reticulorum; praepositio. 8, Pronomen; porri-ge. 9, Unus Argonautarum; venatum persequor. 10, Admiror; amburaris (*litt. versis*).

ELIAS MIERA, C. M. P.  
V Cursus alumnus

Castro Urdiales

## PASSER VOLITANS

Incedebat per agros cum puero pater; qui quam multa Deus quantaque fecisset, et tamen rerum omnium curam gereret — arbores, saxa, animalia enumerans — filio explicabat Caeeruleum quoque caelum insipientes ambo mirabantur.

Et praetervolans passer stercus in pueri faciem ponit. Qui patrem Incusat queritabundus: «Numne et hoc providentia est?».

Cui pater: «Benedictus Deus, fili, qui bubus alas negavit!».

Sti. Dominici Calceatensis.

E. T. CANAL

## LUSCITIOSUS HOMO (*un Miope*)

— Aspice puellam. Indignum facinus est puellas virilem vestem indui. Neque enim veste nec moribus a viris distinguuntur.

— Tace, domine, inquit mulier offenso animo; filia mea est.

— Ignosce mihi. nesciebam te puellae patrem esse.

— Non pater, sed mater sum.

JOSEPHUS ARMENDÁRIZ, C. M. P.  
V Cursus alumnus

Castro Urdiales

# BIBLIOGRAPHIA

J. A. JUNGSMANN, S. J. — *Catequética. Finalidad y método de la instrucción religiosa*. Herder. Barcelona, 1957, pg. 349.

Hoc opus nihil aliud est quam interpretatio hispanica alterius editionis germanicae in lucem anno 1955 ab editrice domo Herder Friburgi in Brisgovia vulgatae. Jam pridem hoc opus desiderabatur a catechistis, professoribus, Theologiae alumnisisque omnibus qui ratione muneris in animarum curam incumbunt.

Patris Jungmann quae «Catequética» inscribitur lucubratio viam aperit quaestionum quae plurimum catholicistarum interesse possunt, quin vel recantiores praetereantur; omnia scita via ac ratione tractat auctor documentis primi fontis fretus lepido nitidoque dicendi genere. Quam plurimae ad calcem notulae scientificam virtutem operis augent et ostendunt quid de quoque doctrinae capite sentiat auctor.

Asserere minime dubitamus opus hoc «Catequética» inscriptum urgenti necessitati nostrae aetatis accommodari in aeterno Christi nuntio divulgando.

M. MOLINA, C. M. F.

BARGELLINI. — *Panorama storico dell' arte*. III. Arte Romana. Vallecchi, Editore. Firenze, 1958.

Mirifice in hoc libro ars et historia colligantur. Liber enim Romanorum artem potius prospicit, at cum arte — idque prosa oratione eleganti et perspicua — historiam artissime copulat. Omnia romanorum artium indicia ibi describuntur et illustrantur sive architectura, sive signa seu statuae, sive monumenta cet. Omnia etiam — quod sine dubio operi pondus confert et commodum — frequentissimis optima charta expressis tabulis phototypicis (nonnullis et versicoloribus) illustrantur.

Opus maximi factendum neque amplioribus verbis dilaudandum cum ex illis libris sit qui se ipsi commendant.

Auctor jam prius ediderat duo volumina hujusmodi maximi operis: «*L'Arte greca*» et «*L'Arte Etrusca*». Parat quoque (fortasse jam prodit) IV volumen: *L'Arte cristiano-Bizantina*. Corpus totum «*Belvedere*» inscribitur. Quod corpus et rebus enucleatis, et innumeris photographiis et charta splendenti omnino commendandum est.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

D'AMORE, Lorenzo · DE ROSE, Gustavo · *Sine ira et studio*. Antologia tacitiana per il Liceo classico e scientifico e per l'Istituto magistrale. Casa Editrice Federico & Ardia. Napoli.

Hoc libro ex «*Annalibus*» et «*Historiis*» Taciti fragmenta quaedam selecta continentur quae Imperatorum romanorum res gestaeque narrant. Singulis fragmentis scita introductio praeficitur quae et res et viros in suis adjunctis collocat dum facta ommissa explanatione praevia quadam complentur.

Notulae — ad optimum quendam criticum et historicum exactae — rem totam illustrent praesertim quod ad grammaticam attinet, historiam cet.

Ex «*Annalibus*» sumuntur Tiberius, Claudius, Nero, ex «*Historiis*» Otho-Vitellius, Flavius Vespasianus. Opus opportunis tabulis phototypicis completum, auctorum menti plene consonat.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

HILTBRUNNER OTTO. — *Latina Graeca, Semasiologische Studien ueber lateinische Woerter im Hinblick auf ihr Verhaeltnis zu griechischen Vorbildern*. Francke Verlag, Bern, 1958.

Haec lucubratio est thesis magno ingenio ab egregio viro Ottone Hiltbrunner exarata, atque Facultati Philosophiae et Historiae Universitatis Bernensis olim exhibita ut doctor renuntiaretur.

Maxima autem operis pars in vocabulorum «simplicitas» et «sincerus» historia inquirenda versatur et interna et externa per totam latinitatem. Investigatio et explicatio de re uberrima, aequè pererudita, non nulla etiã de vocabulorum «intrita», «intubus» usu ibidem ab scriptore aguntur. Verborum, rerum, locorum indices commodissimum librum reddunt.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

THUMMER ERICH. — *Die Religiosität Pindars.*

Universitätsverlag Wagner, Innsbruck, 1957.

Tertium et decimum volumen est in nobili illa collectione «Commentationes Aenipontanae», a clarissimis viris E. Kalinka et A. Zingerle condita et a professoribus E. Diehl et E. Kalinka suscepta; denuo edita ab egregiis auctoribus K. Jax et R. Muth.

Hujus libri propositum facile ex inscriptione ipsa detegitur: est enim ex genere monographico. In sex capita res tota contrahitur: I. Critica litteraria (pp. 11-54). II. Pindarus et intima politicae Epinicionum (pp. 54-64). III. Vicinitas divina (pp. 65-90). IV. Fatum (pp. 90-109). V. Jus (pp. 109-121). VI. Vita aeterna (pp. 121-130). De re conclusiones et indices (pp. 131-137); bibliographia vero et praefatio (pp. 3-10) opus inducunt et perficiunt.

A. MARQUÉS, C. M. F.

MENTOR LATIN — *Éditions des Mentors.*

Avenue Odette, 6, Nogent sur Marne (Seine), 1950.

Si quando «Mentoris» nomen figurate usurpari licuit cum de libris agitur, nunc in hoc libro est. Mentor enim Latinus ab elementis linguae latinae simplicissimis, gradatim et secure alumnum in summum latinitatis culmen ducit, nulla alia adjecta difficultate quam difficilissimas illa quae ab animi levitate exoritur et inconstantia. Quae tamen lectione assidua et intentione facile vincitur.

Postquam igitur elementa omnino necessaria tradidit, Auctor primum epitomem Historiae Sacrae exponit, hinc conversionem gallicam inde lectionem latinam. Verbis latinis

numerus subicitur, qui ad calcem lectorem mittit ubi enodatas inveniet difficultates resque novas. Altera pars vitas Sanctorum Gallorum Martini, Genovefae, deinde Sti. Vincentii a Paulo et Sti. Ludovici Regis habet ubi jam totus explicatur et sententiae et periodi historicae et oratoriae textus.

Libri indicibus completur et verborum et regularum. Methodus postulat animum incensum in latinitatis studio aggrediendo. Quare, quamquam Auctor omnibus omnino viam aperit, ego credam aptiorem esse iis qui jam aetate aliquantulum proveci, ipsi per se —magistro moderante— linguam latinam arripere constituerunt. Quam iis haec via pervia esse possit experti scimus qui Gallici amici litteras latine scriptas saepe legimus. Qui vir brevi tantos tamque mirandos progressus fecit hanc viam secutus ut non modo recte et emendate scribat verum et loquatur, quocum saepe Lugduni latine confabulatus sumus.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

TACITUS. — *Historien.* Lateinisch deutsch ed.

Joseph BORST unter Mitarbeit von Helmut HROSS. Bei Helmeran in München, 1959.

Multum his diebus oblectatus sum Taciti Historias quae hoc volumine continentur legens, quae ita oculis praebentur, ea claritate typorumque perspicuitate ut mens ad lectionem validius alliciatur. De conversione germanica nihil dicam cum in hac re imperitiorum me sentiam. Videtur aliquantulum redundans. At possunt, sine circuitionibus, Taciti verba et mentem vernaculis linguis comprehendere et exprimi?

Auctor amplissima bibliographia utitur, neque hispanorum in hac re operam ignorat ut sunt Vallejo Climent de Bassols. In quibus auctoribus hispanis afferendis duo tantum notabo quae in melius sine dubio reducuntur; pg. 568 legas, *Historias, Text y Trad. por...* Lege: *Historias, text i trad. per ..* (nam editio catalaunica est). Ibidem noli legere J. Vallejo sed Vallejo. Ut patet notanda minimi sunt momenti neque quidquam virtutis operi Borstiano detrahunt.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.